MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

PRAESIDENTE
E.mo Card. **Arcadio Larraona**

MODERANTE
FLORENTIO ROMITA, a Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Promotor. Fidei S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Secretario Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Secret. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Pro-Datario — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Secr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^{i} — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 674.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 673.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - IX - 1960.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIP. EDIT. M. PISANI - ISOLA DEL LIRI - 1960

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Ad Enc. Litt. « Princeps Pastorum ». (Adn. E. PECORAIO). . . Pag. 373
Epistola Joannis PP. XXIII ad E.mum Cardinalem Fossati, Archiepiscopum Taurinensem ob sollemnes illic celebritates indictas in honorem S. Josephi Cafasso, saeculo exeunte a pientissimo eius obitu. (Adn. A. CAVAGNA). . . . . » 391

Sacra Congregatio Consistorialis:

Decretum de regimine Vicariatus Castrensis. (Adn. A. PUGLIESE). » 406

IURISPRUDENTIA S. ROMANÆ ROTÆ ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

S. Romana Rota.

Coram R. P. D. P. MATTIOLI, Ponente. Nullitatis matrimonii *ob defectum formae.* Sententia definitiva diei 12 oct. 1957. . . » 413
Coram R. P. D. Aurelio SABATTANI, Ponente. *Nullitatis sententiarum.* Nullitatis matrimonii . . . . . » 421

Vicariatus Urbis Tribunal I Instantiae:

Coram R. P. D. E. CANZONIERI, Ponente. Nullitatis matrimonii. (*Ex metu reverentiali*) . . . . . » 426

STUDIA ET CONSULTATIONES

Bender, L. Translatio domicilii patris familiae absentis. . . » 435
Huot, M. Nonnullae Adnotationes circa Instituta Saecularia Sacerdotalia. . . . . » 444
Pugliese, A. De religioso in vicarium generalem Dioecesis electo. » 451
Hoffmann, H. De S. Caroli Borromaei cura de contentis spiritualibus-supernaturalibus Archivorum ecclesiasticorum. . . . » 457

RECENSIONES

Discorsi e radiomessaggi di Pio XII. (R. S.) . . . . . » 483
BEGUIRISTAIN, S. *Rinnovamento pastorale.* (GREGNANIN, A.) . . » 484
TREMEAU, M. *Principes de morale chrétienne.* (NOIROT, M). . . » 485
BOSCHI, A. *Digiuno eucaristico e Messe pomeridiane.* (NOIROT, M). » 486
Guide pratique des catholiques de France. (NOIROT, M.) . . . » 487
TANI, A. *Con Dio.* (PARISELLA, I) . . . . . » 488
L' Etat ou Le Politique. (DE CILLIS, E). . . . . » 489
JOMBART, E. *Manuel de droit canon.* (NOIROT, M). . . . . » 492
REGATILLO, F. *Casos canonicos.* (NOIROT, M). . . . . » 493
NOUBEL, J.-F. *Droit administratif de l'Eglise catholique.* (NOIROT, M.) » 494
OLIGER, P. *Les évêques réguliers.* (NOIROT, M). . . . . » 495
DRIESSCHE, J. VAN. *L'empêchment de parenté en droit coutumier africain.* (NOIROT, M). . . . . » 496

DOCUMENTA

Allocutiones JOANNIS PP. XXIII: I. Iis qui interfuerunt Conventui X Romae habito ab Italica Catholicorum iuris peritorum Sodalitate. » 497
II. Iis qui interfueruut Conventui Ultraiecti habito ab Instituto « Office International de l'Enseignement Catholique » . . . » 502
III. Habita in Petriana Basilica, de Oecumenico celebrando Concilio. » 504
Sui « Petri operai ». I. Lettera in data 3 luglio 1959 del Card. Giuseppe Pizzardo, Segretario della S.S. Congr. S. Officii al Card. Maurizio Feltin). . . . . » 512
II. Lettera in data 18 febbraio 1959, S. R. della S. Congr. de Religiosis al Rev.mo P. Aniceto Fernandez, Presidente de la Conf. E. R. . . . . » 516

CHRONICA

Acta Ioannis PP. XXIII. . . . . » 521
Acta SS. Congregationum . . . . . » 530
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

ACTA JOANNIS XXIII

AD ENC. LITT. « PRINCEPS PASTORUM »

(*A.A.S.*, vol. 51, p. 833-864).

ADNOTATIONES

Hisce novissimis quadraginta annis, quinque Enciclycae Litterae prorsus missionales scil. *Maximum illud* a Benedicto XV d. 30 nov. 1919, *Rerum Ecclesiae* a Pio XI d. 28 febr. 1926, *Evangelii Praecones* a Pio XII d. 2 jun. 1951 ab eodemque Pontifice *Fidei donum* d. 21 apr. 1957 et postremo *Princeps Pastorum* a Joanne XXIII d. 28 nov. 1959, editae sunt.

Nulla quidem alia portio Vineae Domini maiorem attraxit sollicitudinem atque curam quam illa quae communiter dicitur Ecclesia Missionalis ex parte — prae ceteris — ultimorum Summorum Pontificum. Quod procul dubio indicat quam multa atque valde implexa problemata solvenda nullo temporis puncto intermisso praebuit res missionalis et quanta opportunitate atque sapientia Supremum Magisterium Ecclesiasticum consilia, hortamenta atque normas iterumque iterumque opificibus evangelicis studiosissime suppeditavit. Quae ad hoc edita sunt documenta ab Apostolica Sede totidem videntur esse lapides miliariae in enucleanda, promovenda atque ordinanda re et actione missionali.

Dum saeculis praeteritis evangelii praeconis figura plus minusve eminebat ut antesignanus atque columen Fidei Christianae atque cultus humanitatisque, animarum servator, propugnator, vel indirecte. commodi utilitatisque suae patriae vel sui Ordinis atque Instituti, nostris vero temporibus idem evangelii praeco id prorsus intendit prosequiturque pro viribus quod in condenda Ecclesia super fundamentum sacerdotum et episcoporum autochthonum revera consistit.

Namque Evangelii praecones ad illud, extremam veluti metam, contendant necesse est — quod quidem semper ante mentis oculos esse debet — ut nempe Ecclesia apud alios populos firmiter constabiliatur, eisdemque propria, ex indigenis delecta, tribuatur Hierarchia. Hoc Apostolica Sedes mature, opportune largiterque semper, praesertim vero postremis hisce temporibus hac de re consuluit ut ecclesiastica statueretur vel restitueretur Hierarchia in regionibus illis, in quibus rerum condiciones suaderent ut Episcopales conderentur sedes, eaedenque, si facultas esset, Praesulibus, in iisdem regionibus natis, regendae concrederentur.

I°

Ut ad Encyclicam *Maximum illud* redeamus tamquam faustissimum initium eiusmodi profundae evolutionis quae effecta est in re missionali, nobis dicere licet prima vice Summum Pontificem allocutum esse in uno eodemque sollemni documento omnes christifideles atque operarios evangelicos, primis memorando strictissimam obligationem atque imperiosum debitum cooperationis missionalis, aliis vero indicando maxima claritate munus efformandi quam primum numerosum atque capacem clerum nativum: quae ceterum adhortatio minime nova videbatur, sed tamen numquam tam impense instanterque antea facta est.

Haec quidem in memoriam revocat ipse Summus Pontifex Joannes XXIII in sua Enciclyca Epistola *Princeps Pastorum*: « Decessor noster Benedictus XV eos omnes impensissime adhortatus est, qui Catholicis Missionibus praeerant, ut qui in regionibus evangelica doctrina excolendis divino quodam afflatu ad suscipiendum sacerdotium vocati essent, quam diligentissime instituerentur, atque clerus ille numero virtuteque increbresceret, qui indigena dicebatur, quamvis hoc nomen nihil offensae, differentiae nihil significaret, quandoquidem id et Romanorum Pontificum eloquium, et ecclesiastica documenta numquam recipiunt ».

Septem annis post, Pius XI in sua Enciclyca *Rerum Ecclesiae* eadem principia resumebat atque profundius theologice explanabat et in praxim feliciter deducebat episcopalem conferens consecrationem primis episcopis Asiae regionum in Patriarchali Basilica Vaticana respective annis 1926-1927 et 1933. « Ad quid tendere debent sacrae Expeditiones — ipse aiebat — nisi ad id, quod Ecclesia Christi instituatur atque constabiliatur in omnibus regionibus? »

Pius vero XII in memoranda Enciclyca *Evangelii Praecones* duo alia maxime praecipiebat ac declarabat videlicet officium efformandi efficientem Actionem Catholicam atque necessitatem adaptationis in missionibus: « Oportet omnino — ipse aiebat — homines e laicorum ordine generosam, diligentem laboriosamque operositatem suam inibi (in missionibus) cum Hierarchico Cleri apostolatu consocient ».

Prima ergo vice Enciclyca missionaria de Actione Catholica in regionibus Sacro Consilio Christiano Nomini propagando subiectis instituenda ac provehenda loquitur et quidem amplissime. Quoad autem adaptationem: « Aliud praeterea — edicitur in illo documento — attingendum superest, quod valde cupimus, quam clarissime omnibus pateat. Illam Ecclesia, inde ab originibus ad nostram usque aetatem, sapientissimam normam semper secuta

est, qua quicquid boni, quicquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole e suoque ingenio habent, id Evangelium, quod amplexae sint, non destruat neque restinguat... Quamobrem Catholica Ecclesia ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit, sed eas potius, a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consummavit atque perfecit ».

In Enciclycis Litteris *Fidei donum* Pius XII aliam videtur ingredi viam non equidem oppositam sed potius parallelam. Profecto ipse iter suscepit e statu atque conditionibus Missionum Africae, sed punctum capitale totius documenti constitui nobis videtur ex citationibus theologicis, quae ad naturam vere missionariam Ecclesiae ita spectant ut clare advertamus Summum Pontificem in primis et ante omnia sollicitum esse removendi a missionibus illum exceptionalitatis characterem ob quem considerabantur hucusque dissitae atque amotae a vita communi christifidelium: missiones e contra natae sunt in medio ipsius Ecclesiae, immo sunt ipsa Ecclesia, quatenus haec procedit ad catholicitatem quam intrinsece possidet ex voluntate atque dono sui Divini conditoris, etiam extrinsece — iuxta mandatum Apostolis traditum — ad effectum deducendam. Summus Pontifex ergo hisce alloquitur verbis episcopos: « Arctissime cum Christo coniuncti eiusque in terra Vicario, vos, Venerabiles Fratres, flagrantis caritatis afflatu commoti, participare studete sollicitudinem illam omnium ecclesiarum, quae Nostros aggravat humeros; Vosmet, quos caritas Christi urget, penitus adstringi Nobiscum gravissimo officio sentiatis, dilatandi scilicet Evangelii et toto terrarum orbe Ecclesiae condendae; atque operam dare ne desieritis, ut inter clerum et fideles late diffundantur spiritus precum et mutuae ferendae opis studia, secundum mensuram caritatis Christi. « Extende — ait S. Augustinus — caritatem per totum orbem, si vis Christum amare, quia membra Christi per orbem jacent ».

Itaque totam Africae continentem mentis oculis ac praecordiis perlustrans, ipse Summus Pontifex sic fatur: « ...In amplissima catholicorum familia novellae Africanae Ecclesiae hodie legitimas suas suscipiunt partes, dum ceterae, quae in fide praecesserunt, fraterna caritate coniunctae, easdem ovantes consalutant ».

II°

In recenti Enciclyca missionali *Princeps Pastorum* Joannes XXIII mirabilem facit excursum magnae instaurationis atque

evolutionis rei missionalis, nova aliqua addendo consilia atque praecepta sive quoad institutionem cleri autochthonis sive quoad efformationem et incrementum laicorum tamquam in apostolatu hierarchico sociorum.

Summus Pontifex occasionem arripiens ex memoranda illa Epistula cui a verbis initium est *Maximum illud,* et qua, ante quadraginta annos, Benedictus XV — ut supra memoravimus — Catholicarum Missionum causam, novis datis normis novoque studio christifidelium excitando animo, actuosissime provexit, cupit paterna voluntate colloqui de necessitate ac spe proferendi Regni Dei in non paucas regiones illas, ubi Evangelii praecones desudant nullisque parcunt laboribus ut novella Ecclesiae germina succrescant fructusque edant salutiferos.

« Ex eo tempore per quadraginta annos — ut Ipse notat — actuosissima evangelii praeconum opera atque incepta cotidie magis floruere uberesque ediderunt fructus, atque illud praesertim evenit, ut hierarchia et clerus, e regionibus orti, quae Missionalibus excolendae concreditae sunt, maiora in dies incrementa caperent ».

Ut vero in promptu habeantur felices rei missionalis progressus data statistica in eadem Apostolica Epistula afferuntur: « Si enim vel cursim — ait Summus Pontifex — ecclesiastica illarum tantum regionum rationaria inspicimus, quae curis concreditae sunt Sacri Consilii Propagandae Fidei, iis exceptis, quae in praesens insectationibus opprimuntur, non sine summo solacio cernimus primum episcopum genere Asianum anno MCMXXIII consecratum esse, primosque Vicarios Apostolicos ex Afrorum gente electos esse anno MCMXXXIX; usque ad annum autem MCMLIX octo et sexaginta numerari Episcopos genere Asianos, atque quinque et viginti ex Africae gentibus; ceterum vero clerum autochthonem, qui anno MCMXVIII numerum attingebat CMXIX sacerdotum anno MCMLVII in Asia ad numerum quinque millium quingentorum quinquaginta trium sacrorum administrorum pervenisse, in Africa autem sacerdotes qui anno MCMXVIII habebantur nonaginta, anno MCMLVII iam complevisse numerum mille octingentorum undecim. Mirabili huiusmodi cleri incremento — concludit Ioannes XXIII — Dominus messis laboribus ac promeritis eorum dignum voluit tribuere praemium, qui vel navitate cuiusque sua, vel qui multiplici adiutrice collata opera Catholicas Missiones, iteratis Apostolicae huius Sedis normis generoso respondentes animo, studiosissime adiuvarunt ».

Rationaria Regionum a S. C. de Propaganda Fide dependentium computata

AD DIEM 30 MENSIS JULII A. D. 1957.

(seclusis iis, quae in praesentiarum sub dicione communistarum sunt)

erritoria S. C. de rop. Fide	Catholici	Catechumeni	Baptismata		Sacerdotes allogonae et autochtones	Seminar. majores	Fratres	Sorores	Catechistae
			adultorum	infantium					
Africa	17.740.175	2.958.143	524.609	837.536	11.199	1.523	4.121	19.532	80.101
America	5.428.126	6.078	8.434	191.790	1.998	224	796	4.709	6.571
Asia	8 795.665	514.379	169.902	371.840	10.728	1.914	3.659	28.665	22.131
Europa	81.419	124	27	1.801	210	14	44	1.554	—
Oceania	2.772.315	38.103	10.494	98.287	4.468	761	2.267	16.283	3.579
UMMAE TOTALES	34.817.702	3.516.827	713.466	1.501.254	28.603	4.436	10 743	70.743	112.382

NOTA: summa baptismatum computata est a. d. 1 julii 1956 ad d. 30 junii 1957.

Insuper Summus Pontifex in sua Enciclyca tempus advenisse censet adloquendi directe et immediate episcopos atque sacerdotes novarum missionalium ecclesiarum, absque mediatione evangelii opificum allogenarum. Prima enim vice hoc fit modo tam sollemni et hoc est elementum quod magis advertimus quodque nos magna afficit commotione.

Periodus ergo primae organizationis seu ordinationis missionum jam peracta est; nunc autem in agris evangelicis velut aratro subversis exorta est Ecclesia nativa proindeque Summus Pontifex vult opportunas praebere normas quae valeant eam confirmare atque eius maius usque incrementum excitare, urgere, dirigere usque ad plenam maturitatem.

Enciclyca *Princeps Pastorum* in duas praecipuas dispescitur partes, quarum prima perspicit atque amplectitur varia problemata ad clerum autochthonum spectantia; altera vero, paulo longior, respicit problemata ad laicatum in missionibus convergentia.

III°

Veniamus igitur ad ea quae ad clerum nativum efformandum instruendumque attinent:

1) *Clerus autochthon sit sanctus*: ut jam edixerat Enciclyca

Maximum illud, clerus nativus recipere debet institutionem atque educationem perfectam et numeris omnibus absolutam. Apostolica autem Epistola *Princeps Pastorum* aliquas adiungit normas seu consilia, quibus niti debet huiusmodi efformatio: « Quam ad rem vix attinet in mentem revocare perfectam absolutamque sacerdotum institutionem educationemque eo spectare necesse esse, ut sacrorum alumni ad eas potissimum virtutes adipiscendas fortiter suaviterque permoveantur, quas primum postulat sacerdotale officium, « hoc est officium suae ipsius procurandae sanctitatis ». Novus autem illarum regionum clerus hac de causa pium quoddam certare certamen debet cum clero veterum illarum dioecesium, quae jam diu sacerdotes suo e gremio ediderunt virtutibus omnibus tam miro modo praestantes, ut sacrorum administris universae Ecclesiae imitandi proponerentur? Etenim sanctitate potissimum sacerdotes esse possunt ac debent lux mundi et sal terrae, hoc est suae ipsorum nationis totiusque orbis terrarum; sanctitate potissimum Evangelii pulchritudinem supernamque potentiam omnibus demonstrare possunt, itemque edocere omnes christianae vitae perfectionem metam esse, quam cuncti filii Dei viribus omnibus eluctando perseverandoque assequi quaeant ac debeant e quibusvis gentibus sint orti, in quolibet vivendi genere versentur, et quovis fruantur civili cultu ».

Summus Pontifex denique spem fovet bonam fore ut ubique ex clero cuiusvis nationis ii eligi possint, qui sacrorum alumni suae cuiusque gentis regere, ac recte sancteque instituere atque educare valeant. Neque vero praetermittit quin adhortetur episcopos et catholicarum missionum rectores ut e clero autochthone ne dubitent eos deligere sacerdotes qui ob suam virtutem peculiaremque agendi prudentiam suorum popularium in sacro ephebeo degentium magistri atque ad sacerdotalem assequendam sanctitatem duces esse possint.

2) *Clerus saecularis praesertim instituendus est*: efformare sacerdotes sanctos non significat educare atque instituere monachos, qui a saeculi vita omnino seclusi vivunt, sed agitur potissimum de sacerdotibus saecularibus efformandis, qui quidem destinantur inferre sacerdotium Christi in medium mundum, nempe inter homines. Efformatio enim clericalis potius deformatio esset si juvenes in sortem Domini vocati durantibus annis quos intra seminarii septa transigunt, omnino ab aliis remoti viverent; atqui si ita esset, absque dubio ipsi tamquam extranei tum redirent in hominum societatem, prorsus ignorantes eorum intentiones atque studia, mentis formam vitaeque rationem.

« Ac procul dubio — ait Joannes XXIII — institutio, quae huic clero impertienda est, peculiaribus etiam rerum conditionibus conformetur oportet, quae variis locis variisque nationibus sint propria. Attamen omnes sacrorum alumnos hanc sapientissimam sequi normam opportunum est: est nempe consulendum ut hi juvenes ne in locis educentur ab hominum societate paulo nimium seiunctis, quandoquidem hoc modo, cum in publicum prodibunt, haud ex facili sive cum minuta plebe, sive cum litteratis hominibus commercium habebunt, fietque eis plurimum, ut aut inconsiderate cum christiano populo se gerant, aut, quam acceperint institutionem, secus exsistiment. Hi autem juvenes oportet ad plenam omnino sacerdotalem animi perfectionem conformentur, sed etiam sensim prudenterque in intima consilia ac studia penetrent, illius populi dicimus, quem evangelica illuminare veritate, et ad sanctitatem vitae, divina favente gratia, conducere debent. Huic igitur instituendi educandique rationi etiam seminarii moderatores obtemperare debent, quamquam ea omnia ultro libenterque accipiant oportet, quae ad res externas ac technicas quod attinet, nova ac progrediens in usum induxit aetas, utpote commune omnium gentium veluti patrimonium civilis cultus, quod ad melius faciliusque vivendi genus homines adduxit, et ad corporis valetudinem ac vires aptius servandas incolumes ».

3) *Cleri autochthonos institutio eo spectare debet ut recte possit populi sui gubernationem suscipere*: « Quam ad rem — edicit Summus Pontifex — id summopere commendamus ut ii omnes tam allogenae quam autochthones, qui sacrae huic institutioni dant operam, ex officii sui conscientia diligentissime curent ut sui alumni suscipiendi muneris gravitatem difficultatemque magis magisque perpendere addiscant, ac licita prudenterque data fruantur cogitandi agendique libertate, qua facilius possint gradatim, sed quam primum, majora etiam ecclesiastica ministeria suscipere una et concordissime cum alienigena clero, sed pari omnino ratione. Id enim impertitae institutionis efficacitatem comprobabit, iisque ad quos sacrorum alumnorum educatio pertinet, summum debitumque attribuet praemium ».

4) *Clerus autochthon requiritur qui sit bene imbutus non tantum et exclusive disciplinis philosophicis atque theologicis, sed etiam humanioribus artibus atque culturis praesertim localibus.*

« Quamobrem — scribit Joannes XXIII — in Catholicarum Missionum seminariis studiorum curricula non deerunt, quibus ea opportune explanentur, quae et ad varias Missionologiae rationes

pertineant, et ad technicam etiam cognitionem earum rerum, quae ad futurum illarum regionum cleri ministerium utilia videantur. Hac de causa — prosequitur in dicendo Summus Pontifex — omnino necesse est ut quae impertitur institutio non modo ad integram solidamque Ecclesiae doctrinam conformetur a maioribus traditam, sed etiam alumnorum mentes ita aperiat et exacuat, ut recte iudicare valeant suae cuiusque patriae peculiarem cultum, ad philosophicas praesertim ac theologicas disciplinas quod attinet, itemque peculiares rationes quae inter eas christianamque religionem intercedant ».

Heic denique idem Summus Pontifex opportune apteque ea repetit quae iis qui interfuerunt Conventui II° « des Ecrivains et Artistes Noirs » exposuit: « Quotiescunque auctiora verique nominis incrementa, ad liberales artes ingenuasque disciplinas quod spectat, possunt humanae familiae cultum ditare, Ecclesia eiusmodi ingenii nisus fovet et adiuvat. Ea enim ut probe nostis, non unam tantum animorum culturam, despectis aliis, quasi propriam amplectitur, ne illam quidem, quam Europa ceterique occidentis populi pepererunt, etsi ea, historia teste, arctissime coniungitur, creditum enim Ecclesiae munus ad aliud potissimum pertinet, ad id nempe quod ad religionem et ad aeternam hominum salutem spectat. Veruntamen Ecclesia utpote quae iuventute polleat perpetuoque Sancti Spiritus afflatu renovetur, nullo non tempore ea omnia agnoscit libenterque in se recipit, quin immo actuose excitat, quae humanae menti animoque honori vertant, etiamsi eadem ex aliis terrarum orbis partibus oriantur, non autem e regionibus, quae mediterraneo mari circumluuntur, et quae ex providentis Dei consilio, quasi suae infantiae incunabula fuere ».

Nec dictis tantummodo hisce temporibus Summi Pontifices hanc normam confirmaverunt sed etiam factis. Sacra Congregatio de Propaganda Fide anno 1936 Instructionem dedit Episcopis in Japonia ut fideles huius regionibus quibusdam ritibus civilibus adsistere possent, dicens: « Missionariorum ergo est et agnoscere et honorare Japonensium pietatem et amorem in patriam, atque fideles docere ne ceteris civibus sint in amanda patria inferiores. Quod semper a missionariis prestitum est ».

Eadem Sacra Congregatio quattuor post annis Instructionem Ordinariis locorum Sinarum mandavit ut permissionem fidelibus daret adsistendi ritibus civilibus in honorem Confucii vel antenatorum defunctorum, nam « plane compertum est in Orientalium regionibus nonnullas caeremonias, licet antiquitus cum ethnicis ritibus connexae essent, in praesentiarum, mutatis saeculorum in fluxu moribus et animis, civilem tantum servare significationem

pietatis in antenatos vel amoris in patriam vel urbanitatis in proximos ».

S. Augustinus in libro *De vera Religione* haec de aliquibus philosophis ethnicis affirmat: « Itaque si hanc vitam illi viri nobiscum rursum agere potuissent, viderent profecto cuius auctoritate facilius consulere hominibus, et paucis mutatis verbis atque sententiis christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum Platonici fecerunt ».

Ecclesia Christi sua natura supernaturalis est, ita etiam sua doctrina. Catholica enim doctrina etiamsi in suis explicationibus terminos et formas externas assumere debuisset, tamen limitata non est ad unam alteramve formam culturae. Definitiones vero dogmaticae, terminologia sancita in rebus theologicis et scripta sanctorum Patrum ac Doctorum, constituunt utique patrimonium culturale Ecclesiae; haec tamen hereditas exsistimanda non est uti aliqua cultura particularis, est vero communis totius Ecclesiae.

5) *Clerus autochthon qui in multiformi ac sedula actuositate apostolica suam sciat et valeat servare spiritualitatem.*

« Curandum est — dicere pergit Summus Pontifex — ut apostolica Missionalium actio ne nimia profanorum operum congerie opprimatur vel praepediatur. Ea igitur tantum, quae necessaria sint et quae ex facili possint expediteque in usum deduci instituantur atque eadem, quam primum fieri possit, eiusdem nationis viris vel mulieribus administranda ordinandaque concredantur, ita quidem ut Missionales viribus omnibus queant ministerio doctrinae impertiendae ac suae ceterorumque sanctitatis aeternaeque salutis procurandae se dedere ».

6) *Clerus autochton requiritur qui catholico spiritu, mente studioque polleat; qui nempe semper intendat et prae se ferat spiritum universalitatis, communicet cum spiritu catholicitatis, quae est essentialis nota eiusdem Ecclesiae.*

« Sacerdotes autochthones ea omnia noscant prudenterque perpendant quae ad peculiaria patriae suae instituta spectent, potiore etiam ratione liquet iisdem hanc — ait Joannes XXIII — quam proximus Decessor Noster in universum edidit, sententiam esse tribuendam: « Ecclesiae prospectus atque proposita, quae universa complectuntur, suetae eorum christianae vitae prospectus consiliaque erunt ». Hac igitur de causa idem clerus non modo pernoscat oportet universae Ecclesiae vices, condiciones verique nominis utilitates, sed necesse etiam est ut ea ducatur ac permoveatur caritate, qua omnes christifideles amplectatur. Quamobrem

iure meritoque S. Joannes Chrysostomus, de liturgicis celebrationibus agens, haec asseveravit: « Accedentes enim (ad altare), primum pro universo orbe communibusque commodis gratias agimus » atque S. Augustinus hanc pulcherrimam addit sententiam: « Extende caritatem per totum orbem, si vis Christum amare, quia membra Christi per orbem jacent ».

Ita denique concludit Summus Pontifex: « Nos autem fore omnino confidimus ut autochthon quoque clerus propositis illis consiliisque moveatur, quae generalibus Christianae religionis rationibus respondeant, et cum doctrina Catholica Ecclesiae penitus concordent, quae quidem universos homines pari amore complectitur, atque adeo veraci etiam uniuscuiusque patriae bono, pro sua parte, optime consulit ».

« Ecclesia Dei — Joannes XXIII repetit verba Benedicti XV in Apostolica *Epistula Maximum illud* — catholica est nullamque apud gentem vel nationem extranea »; quamobrem nulla alicuius regionis christianorum communitas cum universa Ecclesia unitatem illam reapse manifestat, ex qua superna Jesu Christi vita oritur, si clerus populusque peculiari tantum suarum rerum studio moventur, si in ceteras gentes malevolentia concitantur, si nimio denique illo suae nationis studio ducuntur ac perturbantur, quod caritatem erga universos labefactare potest; qua quidem una caritate Ecclesia Dei constat ac vere « catholica » nuncupatur ».

IV°

De laicis efformandis qui operositatem suam in missionibus cum hierarchico Cleri apostolatu consocient.

Quilibet homo, baptismate aquae valide baptizatus, est persona seu subiectum juris in Ecclesia. In ipsa autem persona debemus distinguere capacitatem juridicam et capacitatem agendi; scil. aptitudinem ad jura habenda et obtinenda et ipsum exercitium juris. Capacitas alia est generalis, alia est specialis. Capacitas generalis dicitur illa possibilitas acquirendi jura, quam quis obtinet cum ipsa personalitate in societate. Quandoque ad genus aliquod jurium obtinendum, ista generalis capacitas non sufficit, sed requiritur in persona specialis conditio, qualitas specialis quae ipsam personam modificat, vi cuius illa persona fit capax ut possit, mediante aliquo actu juridico, illa specialia jura acquirere, ideoque capacitas specialis dicitur.

Qua ratione, homo baptizatus in Ecclesia obtinet capacitatem generalem, quae sufficiens non est ut statim possit obtinere officia

et beneficia, ordines sacros et jurisdictionem exercere. Nam ut persona in Ecclesia haec omnia possit obtinere, necesse est ut sit clericus; requiritur ergo capacitas specialis. Capacitas tamen non confert jus, ideoque clerici ex eo quod sint clerici, non habent potestatem, sed potestatem ordinis obtinent mediante sacra Ordinatione, et potestatem jurisdictionis mediante missione canonica.

Capacitas autem juridica confundenda non est cum statu juridico personarum, licet in pluribus conveniat. Si quis ingreditur clericatum, a primo momento habet et capacitatem specialem et immediate aliqua jura et officia, quae ceteris fidelibus in Ecclesia non competunt. Status juridicus dicitur, diversa comparatio seu positio personarum ad legem, ad ordinem juridicum, vi cuius persona obtinet diversa jura et officia in societate. Originem habet in aliquo modo essendi, qui personam, non actum, afficit et quia actio ad modum motus concipitur, cum modi essendi sint permanentes, per oppositionem ad actus iuridicos, modi essendi dicuntur status personae et status iuridici, quia ex illis modis essendi, voluntate legis, derivantur in personam plura jura et officia.

Ratione status iuridici, in Ecclesia personae dicuntur per comparationem ad hierarchiam *clerici et laici.*

Enciclyca *Princeps Pastorum revera* non est prima inter alias, quas supra memoravimus, quae magnum in promptu ponit momentum operis a laicis sub ductu hierarchiae una cum clero tum saeculari tum regulari praestandi, sed hoc argumentum est tamquam nota peculiaris huius Enciclycae, in qua melius clariusque determinatur necessitas operis laicorum in missionibus. Plus ergo quam medietas huius documenti pontificii eiusmodi problema attingit atque pertractat — quod liquido significat gradum maioris maturitatis ad quem feliciter pervenit Ecclesia in regionibus missionalibus itemque indicat speciales conditiones in quibus ipsa Ecclesia in praesentiarum inibi versatur atque diversa ac gravia problemata quibus obvenire impellitur.

« Ad novas etiam christianorum communitates quod attinet — declarat Joannes XXIII — haud satis est homines ad catholicam religionem convertere, eosque lustrali aqua expiatos, ingenti numero in Ecclesiae album referre; sed etiam omnino opus est, christiana impertita educatione rerum conditionibus ac temporibus consentanea, eos aptos efficere ad incepta illa pro sua cuiusque facultate suscipienda, quae conferre possint ad praesens ac futurum Ecclesiae bonum atque incrementum. Christianorum numerus parum significat, si eorum virtus deficit; hoc est si in profitendo catholico nomine iidem reapse inconcussa firmitate non pollent, si intus in eorum animis spiritualis vita non viget, atque foras

non edit salutares fructus; si denique, postquam divina gratia renati sunt, florenti illa et matura iuventute non praestant, quae ad proba et frugifera patranda facinora semper parata sit. Etenim christianae Fidei professio non tantum ad civium anagraphen pertinet, sed potissimum debet novum creare hominem, eiusque actionibus omnibus, eas excitando, dirigendo moderandoque, vim indere supernam ».

In novis ergo christianorum communitatibus aeque ac in veteribus actio cleri non est restringenda ad numerum usque ingentiorem civium pro Regno Dei, per conversiones et baptismata, procurandum, sed oportet etiam reddere hos cives aptos ad incepta illa suscipienda, quae ad commodum atque utilitatem Ecclesiae redundant.

Quod revera pendet ex conscientia qua praeditus fuerit ipse clerus de munere atque officio quod hac in re ipsis laicis incumbit. Comparatio illa quae inde ab exordiis Ecclesiae facta est inter pastores et oves tali facile affici potest interpretatione ut omnes obligationes attribuantur soli clero, sed evangelium ipsum exigit ut oves non sequantur pastorem passivo modo, sed potius actuose sese gerant in agnoscendo personam ac vocem pastoris.

« Oves christiani gregis — ait Summus Pontifex Joannes XXIII — non modo pastori auscultent oportet, sed eum etiam eiusque vocem agnoscant atque fideles volentesque eum sequantur per aeternae vitae pascua.

« Oves scilicet, quae cum pastorem agnoscant et sequantur, qui animam suam dedit pro ovibus suis, eidem se totas dedant, eiusque divinae voluntati ultro libenterque obtemperantes, eo studiose operoseque contendant ut aliae etiam oves, quae eum non sequantur, sed ab eo longe aberrent, qui via, veritas et vita est, tandem aliquando unum atque unicum ingrediantur ovile ».

Consociam ergo operam praestare ad bonum commune Ecclesiae, quod est, ex natura sua, per universum mundum sese dilatare, est obligatio justitiae socialis ordinis supernaturalis. Ad id autem faciendum non eodem modo singula membra obligantur, sed secundum diversas conditiones vel ordines, qui in ipsa societate habentur. Diversa enim ratione obligatio incumbit Summo Pontifici, episcopis, sacerdotibus, institutis religiosis et populo christiano.

Quoad autem obligationem, qua astringitur populus christianus seu fideles, haec non respicit tantummodo fideles antiquarum communitatum sed etiam illarum recenter constitutarum neque restringitur solum ad media materialia suppeditanda, ad procurandas vel fovendas vocationes missionales, quae omnia cooperatio missionaria vocari solent, sed exigit etiam ut ipsi fideles

qui membra sunt ecclesiarum localium in territoriis missionum apti fiant praestandae operae ad auxilium cleri in vero apostolatu qui dicitur laicalis atque multis diversificatur modis praesertimque configuratur in ea quae nuncupatur Actio Catholica.

Jam Summus Pontifex Pius XII in pluries memorata Enciclyca *Evangelii praecones* haec declaravit: « Oportet omnino homines e laicorum ordine generosam, diligentem laboriosamque operositatem suam inibi (in missionibus) cum hierarchico Cleri apostolatu consocient ».

Trium enim Apostolicarum Epistularum, de quibus sermo fuit supra idest *Maximum illud* Benedicti XV, *Rerum Ecclesiae* Pii XI et *Evangelii praecones* Pii XII, haec ultima est ea, quae ex professo diffuseque aggressa est problema Actionis catholicae, quod est maximi momenti, etiam in missionibus. Nullum sane dubium est quin Enciclyca *Rerum Ecclesiae* saltem implicite commendavisset organizationem seu ordinationem atque incrementum Actionis Catholicae in regionibus missionariis. Nam in procurandis catechistis sive ex allogenis sive potius ex autochtonibus delectis itemque aliis qui missionalibus operam navent suam et in praestando opere tum in valetudinariis tum in ludis ordinis superioris, aliisque id genus laboribus sustinendis, oportet — sicut ipse Summus Pontifex Pius XI innuit — uti pretioso laicorum auxilio. Sed ille Pontifex qui jure meritoque appellatus est Pontifex Actionis catholicae haud omnino necessarium in id tempus censuit penitus pertractare eiusmodi quaestionem, cum sibi cordi esset prae ceteris sedulo pergere in propugnanda atque provehenda institutione cleri autochthonis, et innumerabiles declarationes quoad Actionem Catholicam in omnibus rerum adiunctis factas sibi sufficientes viderentur, quae quidem aptarentur toti Ecclesiae sine ulla distinctione neque restrictione. In Enciclyca *Evangelii praecones* hoc argumentum locum tenet principem, cum circiter quattuor paginae dedicatae sint Actioni catholicae, quin numerentur multae aliae citationes, quae passim inveniuntur in eadem Apostolica Epistola.

In Enciclyca vero *Princeps Pastorum,* ut iam supra notavimus, secunda pars, quae multo longior quam prima est, pertractat quasi exclusive laicorum apostolatum.

« Primis quidem, quas edidimus, Litteris Enciclycis — quae initium sumunt ab istis verbis *Ad Petri Cathedram* — de variis gravibusque — ait Joannes XXIII — commemoravimus causis, quae hac aetate impellunt ut in omnibus orbis terrarum partibus « laici hominum in pacificae militiae, hoc est in Actionis Catholicae agmina, eo sapienti consilio advocentur, ut ecclesiasticae Hierarchiae

adiutricem operam navent »; quibus verbis — dicere pergit Summus Pontifex — haec subiecimus: « Magno quidem Nobis solacio est ea considerare, quae per elapsum temporis decursum, in regionibus etiam ab Evangelii praeconibus adhuc excolendis, hi Episcoporum ac sacerdotum adiutores... alacri actuosaque voluntate exantlarunt opera ac provexerunt incepta ». Nunc vero affectu caritatis, quae urget Nos, haec Decessoris Nostri imm. mem. Pii XII hortamenta et inflammantia dicta volumus instantissime iterare: « Oportet omnino homines e laicorum ordine generosam, diligentem laboriosamque operositatem suam inibi cum hierarchico cleri apostolatu consocient, in Actionis Catholicae confertissima agmina confluentes ».

Sed in hisce apostolatus formis Summus Pontifex Joannes XXIII monendum censet ut haec apostolatus ratio ad locorum conditiones et necessitates congruenter accommodetur. Et subito de ista congrua accommodatione subiungit *rationem cur*: « Non licet ea, quae in alia regione peracta sint, ad aliam, nullo habito discrimine, transferre; sed ii, ad quos pertinet, moderationi ecclesiasticae Hierarchiae omnino subiecti sacrisque Pastoribus hilari animo obtemperantes curare debent, ne multiplices apostolatus formae nimia quaedam onerum accessio evandant, qua vires praeclarae ita cohibeantur vel dissipentur, ut solum certa quaedam ac singularia suscipiantur, atque adeo quasi trunca et manca sit actio, cum plus aequo speciali cuidam rei studeatur; quod quidem, sicubi opportunum esse videatur, tamen minus utilitatis habeat, ubi adiuncta et necessitates prorsus alia sunt ».

1) *De scholis apostolatus laicorum.*

Nulla Actio Catholica esse, vivere, crescere atque fructificare potest sine moderatoribus laicis qui ad apostolatus doctrinam exercitationemque bene efformati sint, quique fiducia atque aestimatione ipsius Hierarchiae omnino digni sint. Quomodo ergo efformari possunt? Ioannes XXIII haec suggerenda censuit: « Quoniam vero difficile, quemadmodum liquet, scholarum disciplinis addi potest ratio moderatores Actionis Catholicae instituendi, expedit saepe extra ludos bonae spei adulescentes congregari, ut ad apostolatus doctrinam exercitationemque informentur. Curent igitur Ordinarii locorum, ut, quo aptiore possint modo, pro suaque prudentia scholas apostolatus condiscendi aperiant, in quibus, uti patet, institutionis ratio ab ea differt, quae in scholis, quas vere proprieque dicas, obtinet...

« Vim igitur singularem — subiungit Summus Pontifex — et efficientissimam scholis huiusmodi tribuentes, quod ad instituendos moderatores Actionis Catholicae attinet, nolumus tamen familias

onere officii, quo tenentur, eximere neque quidquam de earum auctoritate detrahere, cum interdum eaedem plus etiam ad hanc rem possint quam scholae, alendo scilicet in filiorum animis apostolatus ardorem eosque christianis praeceptis uberius in dies erudiendo et ad actionem vitae comparando. Est enim domesticus ipse convictus praestantissima quaedam schola, cum nulla prorsus re commutanda ».

2) *Laici qui sint tamquam aedificatores civitatis.*

Saepenumero Ecclesiae Catholicae a multis obiicitur eam tantum sollicitam esse, praesertim in Asia et in Africa, de procurandis quam plurimis sanctorum civibus, minime vero, in suo ordine, de construenda super terram hominum civitate. Sed haec obiectio, quae omnino speciosa atque incauta videtur, procul dubio in cassum movetur adversus Enciclycas Litteras *Princeps Pastorum*. In iis enim clare edicitur: « Verum bonum certamen pro Fide christiana initum non solum in intimis fit conscientiae latebris, vel intra domesticos parietes, sed etiam in vita pubblica, ubicumque et quomodocumque eam agi contingit. In omnibus orbis terrarum partibus variae nostra aetate exsistunt quaestiones, quas qui persolvere student, plerumque una humana innituntur sapientia et principia sequuntur, quae legis christianae praeceptis non raro adversantur, re quidem vera pleraeque regiones tam gravibus rei socialis, oeconomicae et politicae immutationibus obnoxiae sunt, ut ex eis futuri temporis cursus maxima ex parte pendere videatur. Quaestiones vero, quae apud alias gentes aut iam solutae aut iis rebus enodari queunt, quae in earum more usuque insunt, apud alias necessario sunt ac sine mora expediendae; quod quidem etiam periculi plenum est, cum fieri possit ut praepropere agatur atque lamentabili cum levitate animi doctrinae mutuo recipiantur, quae rationes religiosas singulorum hominum ac gentium aut neglegant aut aversentur. Quas quaestiones catholicis, bono privato ac bono publico Ecclesiae intentis, nequaquam licet ignorare neque incuriose sinere damnose solvi, ita ut postea impensiore cum nisu errata sint corrigenda ampliusque impediatur christianae religionis propagatio terrarum in orbe.

« Cum vero, ad publica munera quod pertinet, actiones hominum laicorum in regionibus, ubi verbum Dei disseminatur, degentium, sint ipsis magis propriae ac potiores, christianae communitates quam maturrime et impensissime curent oportet, ut viros ad publicam rem in sua cuiusque terra pro communi ipsius bono capessendam comparent, qui non solum credita sibi officia et opera cum laude exequantur, sed etiam, vita sua vere christiana, Ec-

clesiae, cuius beneficio renati sunt, honorem adiungant, ita ut sacri Pastores praeconium illud iis tribuere possint, quod apud S. Basilium scriptum videmus: « Gratias egi Deo sanctissimo, quod rerum publicarum curis occupati, ecclesiasticas haud parvi penditis; sed de iis unusquisque velut de proprio negotio et ex quo vita sua pendeat, ita solliciti fuistis ».

3) *De curandis juvenibus catholicis, qui e territoriis missionum, ratione studiorum, se conferunt in regiones Europae vel Americae Septentrionalis aliasve orbis terrarum partes.*

Magno animi affectu atque paterna sollicitudine Joannes XXIII juvenes catholicos, discedentes e regionibus, Missionalium studio excolendis, doctrinae condiscendae ususque rerum adipiscendi causa, quibus habiles fiant ad publica munera in patria capessenda, commendat atque committit vigilantibus curis Episcoporum in quorum dioecesibus illi ad tempus commorantur.

« Nemo enim vestrum — dicit Summus Pontifex — Venerabiles Fratres, non videt, quot pericula eorum ingeniis mentibusque, quot discrimina impendeant moribus in hominum societate, quae non solum eorundem non est propria, sed etiam — pro dolor! — nequaquam huiusmodi, ut Fidem eorum confirmet eosque ad christianam virtutem excitet; atque adeo unusquisque vestrum pro conscientia officii, quo omnes sacri Pastores, ad Missiones quod spectat, tenentur, caritate et sollicitudine summa et rationibus initis aptissimis, iis ferre opem studeat.

« Neque difficile erit hos juvenes doctrinae studiosos exquirere, sacerdotibus vel laicis ad hoc ministerium imprimis idoneis committere, spirituali cura fovere, ac demum facere, ut suavitatem et adiumenta caritatis christianae persentiant usuque experiantur, qua omnes in fraternum foedus coeamus oportet et alter alterius commodis serviat. Itaque ad tot tantaque auxilia quibus Missionalibus occurristis, hanc etiam adiutricem adiungite operam, qua regiones, in orbe terrarum dissitas quidem, sed curis etiam vestris quodam modo commendatae ipsis animis vestris repraesentantur.

His vero juvenibus — tum demum concludit Joannes XXIII — doctrinae studiosis non solum amorem, quo in eos ferimur, patefacere volumus, sed eos etiam impense amanterque hortari, ut signum crucis, in frontibus suis conscriptum tinctione sanguinis Jesu et unctione chrismatis sancti, inviolate ubique prae se ferant, neve, dum apud exteras gentes commorantur, occasionem pratermittant, quin non solum ad munera recte gerenda se comparent, sed religionis etiam disciplinam altius comprehendant. Quam-

quam periculis malisque sunt obnoxii, habent, tamen opportunitatem maximam ad multa capienda commoda spiritualia, dum apud catholicas degunt nationes, si meminerint omnes christifideles, quicumque sunt et undecunque duxerunt ortum, debere ceteris esse exemplo mutuaque inter se pietatis impertire adiumenta ».

Juvat heic exhibere aliqua data statistica respicientia juvenes sive catholicos sive non catholicos ex Asia atque Africa provenientes, qui in Universitatibus Europae et Americae Septentrionalis sua peragunt studia:

	ex Afr. et Med. Oriente	ex Extr. Oriente	summatim
In St. Foed. Amer. Sept.	7.210	14.206	21.616
In Germania	4.143	1.369	5.512
In Britannia	16.270	8.915	25.185
In Austria	1.172	51	1.223
In Belgica	202	110	312
In Gallia	10.050	4.375	14.415
In Hollandia	—	204	204
In Hibernia	627	300	927
In Italia	106	75	181
In Helvetia	666	137	803
	40.451	29.742	70.193

Cum felix exitus operis laborisque in Vinea Domini prorsus pendeat ex gratia, quae desuper infunditur, — iuxta illud S. Pauli Apostoli: « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit » — Joannes XXIII eodem fere tempore, quo Enciclycas Litteras *Princeps Pastorum* edidit, peculiarem orationem Fidelium Christianorum ad Ecclesias recenter conditas pertinentium, exaravit et indulgentiis ditavit.

Illius quidem orationis, quae in circiter centum et duodeviginti linguas versa est, haec sunt verba: « O Iesu, Fili Dei vivi, qui homo factus es, ut caelestis Patris amoris mysterium revelares atque misericordem et salutarem eius pro omnibus gentibus voluntatem pretioso Tui ipsius sacrificio implevisti, Te adoramus et laudamus quod nos illuminasti et redemisti.

« O Iesu, qui Apostolos tuos delegasti ad animarum segetem in totius mundi agris metendam et pollicitus es ad Te Crucifixum omnes homines Te tracturum esse, gratias Tibi agimus, quia no-

bis illos misisti, qui tuam veritatem nobis innotescendam gratiamque participandam curarent.

« Te igitur exoramus, ut, intercedente Beata Maria Virgine, tua et omnium nostrum Matre caelesti atque Angelorum Sanctorumque Regina, tua digni Ecclesia filii esse possimus, tuis doctrinis mandatisque fideles, tuo in terris Vicario, nostrorum patre animarum, protectore atque ductore.

« Concede nos, quaesumus, dociles esse Episcopis et sacerdotibus nostris, quibus, ut sanctificentur et in ministerii opere proficiant, gratias imploramus; iuxta voluntatem tuam nostrarum terrarum nostrarumque gentium sal et lux ipsi fiant.

« A Te enixe petimus, ut, in fide, in spe et in caritate crescentes, gaudium et pacem, quae Spiritus Sanctus in nostra effudit corda, omnibus nota facere atque ad perpetuam Paradisi, quem cunctis Dei filiis aperuisti, beatitudinem et gloriam nosmetipsos disponere valeamus. Amen ».

EDUARDUS PECORAIO
A studiis S. C. de Prop. Fide

BIBLIOGRAPHIA

Bilan de vingt-cinq années à l'occasion de l'encyclique « pour le progrès des missions »: Rythmes du Monde (Lyon-Paris 1951) N. 2 pp. 144. *Commentarium in Litteras Encyclicas « Evangelii Praecones » Magistris Pont. Instituti Missionalis Scientifici de Propaganda Fide A A.: Euntes Docete* (Roma 1952) Fasc. 1-2; pp. 326.

GARDINI *W., S. X., « Princeps Pastorum ». Dalle Missioni estere alle Chiese locali.* E.M.I. Parma, Bologna, Milano, Torino, 8°, pp. 72.

TESTORE, *C. S. J., A servizio del Vangelo. A proposito dell'enciclica « Princeps Pastorum »: Civiltà Cattolica,* Anno 111. Vol. I. (Roma 1960) pp. 12-22.

BRULS, *J., L'encyclique Princeps Pastorum: Eglise Vivante XII.* (Paris-Louvain 1960) N. 1. pp. 5-16.

RÉTIF, *A., S. J., L'Encyclique Princeps Pastorum: Missions de l'Eglise* 35 année, T. XVI. (Paris 1960) pp. 19-23.

MULDERS, *H., C. SS. R.;* KAHLMANN, *G., C. SS. R., Princeps Pastorum Encycliek van Paus Joannes* UUIII *van* TB *November* ERYR *over de Katholieke Missies, bij de veertigste verjaardag von de Apostolische Brief Maximum illud van Benedictus XV.* Hilversum 1959. 8°, pp. 57.

BENEDICTUS XV, Litt. enc. *Maximum illud A.A.S.,* 11 (1919) pp. 440-455.

PIUS XI, Litt. enc. *Rerum Ecclesiae A.A.S.,* 18 (1926) pp. 65-83.

PIUS XII, Litt. enc. *Evangelii praecones A.A.S.,* 43 (1951) pp. 497-528.

PIUS XII, Litt. enc. *Fidei donum A.A.S.,* 49 (1957) pp. 225-248.

JOANNES XXIII, Litt. enc. *Princeps Pastorum A.A.S.,* 51 (1959) pp. 833-864.

EPISTOLA

AD E.MUM P. D. MAURILIUM TIT. S. MARCELLI S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM FOSSATI, ARCHIEPISCOPUM TAURINENSEM, OB SOLLEMNES ILLIC CELEBRITATES INDICTAS IN HONOREM S. IOSEPHI CAFASSO, SAECULO EXEUNTE A PIENTISSIMO EIUS OBITU.

IOANNES PP. XXIII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Magnopere Nobis cordi est a sacri ordinis viris sanctitatem coli.

Hac de causa perquam advenit ad Nos nuntium te, Dilecte Fili Noster, sollemnes istic celebritates indixisse, ut apte congruentibus obsequiis S. Iosephi Cafasso vita inclita et illustris memoria recolerentur, propterea quod proximo anno primum implebitur saeculum, ex quo ipse pientissimo decessu Deo animam exhalavit.

Religione, operosa navitate, doctrina is ita innotuit et effulsit, ut Taurinensium sacerdotum iure meritoque pura gemma reputetur, itemque illa omnia, quae docuit et gessit, nullo non tempore ad meliora intrepido pectore et sincera conscientia sectanda validum incitamentum habeantur.

Nostrum non est nunc singillatim ea cuncta recensere, quibus vitae ipsius decursus memoratu dignus est. At facere nequimus, quin veluti in candelabro aureo lucernas imponamus nonnullas eximias animi laudes, quibus insigniter ille decorus et exornatus visus est. Fuit namque ei labor in negotiis, consilium in providendo, celeritas in conficiendo, fortitudo ad ardua sustinenda parata, caritas ad se devovendum in sacri muneris officii et ad alios iuvandos continenter alacris: nam semper habet unde det, qui pectus habet plenum caritatis. Quapropter fuit sacri ordinis virorum institutor egregius, qui una simul et sana doctrina eorum mentes altius imbueret, et mores ad perfectioris sanctitatis regulam fingeret; fuit etiam exquisitus solator eo suavior et vigilantior, quo aerumnosior erat miseria, apprime eorum qui vinculis detinebantur et qui capitis poena mulctati erant.

S. Iosephus Cafasso, a cuius obitu centum revoluti celebrantur anni, Ecclesiasticum Collegium, quod quidem Augustae Taurinorum et Pedemontanae regioni tot eximios fructus protulit, incenso studio promovit et auxit; tu, qui a Nobis in hisce rerum adiunctis salutares adprecationes poscis, e Collegio Sacerdotum Oblatorum a Ss. Gaudentio et Carolo, fama et meritis inclito, profectus es; Nos quoque, ut externus sodalis, cooptati fuimus in dioecesanam Bergomensem Congregationem sacerdotum a SS.mo Corde Iesu, decem operosae vitae lustra hoc anno condentem. Ex his igitur, quae ad recolenda huiusmodi commemoratio invitat et admovet, perquam propitia arripitur occasio, ut a Nobis ecclesiasticae consociationes, ductu auspicioque Antistitum, magis magisque floreant, vigeant et amplificentur: quod si felicibus auctibus contigerit, sacerdotum pietati et doctrinae id valde proderit, et Praesulibus praesto erunt magni pretii auxilia, quibus directo et illico uti possint.

Adprobatione digna ducimus complura incepta, provido disposita consilio, ut a S. Iosepho Cafasso exercitae virtutes et res gestae in memoriam redigantur et merito praeconio collustrentur. Hac ratione calamitosis temporibus, quibus premimur, acuentur ad constantiam, ad patientiam, ad industriam vires, atque adeo haud parum ad deproperandum aevum conferetur, quo Christi lex et amor singulos homines et socialis vitae communitates ad salutem tueantur et salubri medicamento purificent.

Haec ominati, prosperos exitus et diu permansuros effectus celebritatibus in honorem S. Iosephi Cafasso istic agendis percupimus atque, superni auxilii auspicem, Apostolicam Benedictionem tum tibi, Dilecte Fili Noster, tum iis universis, qui religiosos huiusmodi coetus instaurabunt vel ibidem intererunt, peramanter impertimus.

Datum Roma, apud Sanctum Petrumb, die XVI mensis Decembris, anno MCMLIX, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PP. XXIII

(*A.A.S.* vol. 52, pagg. 81-82).

ANNOTAZIONI

Alto invito.

Il Cafasso, nel centenario della sua morte, offre a noi sacerdoti opportuna occasione di impegnativa riflessione, come ci esorta il S. Padre nel documento sopra riportato.

Occupati in urgenti e nuovi campi di apostolato; spinti dal desiderio di essere al corrente delle ultime novità per non apparire retrogradi nel compimento del sacro ministero, abbiamo forse un po' trascurato la lettura della vita dei Santi, come di figure troppo lontane dai nostri attuali doveri. Agli stessi fedeli, anche a quelli che ci sono più vicini, come gli aderitti alle Associazioni di apostolato e all'Azione Cattolica, ci è quasi sembrato fuor di posto presentare esempi di Santi e stimolarli a meglio conoscerli, quasi avessero perduto gran parte del loro mordente.

Le vite dei Santi.

Il centenario del Cafasso, insieme ad altri felici vantaggi, può aiutarci a superare questa incerta situazione. Ci incontriamo infatti con un Santo che, forse meglio degli altri, insegna a noi sacerdoti il cammino che dobbiamo oggi percorrere; mentre lo stesso suggestivo titolo « Il prete della forca », dato a una recente biografia, lo rende accogliente agli stessi laici [1].

Recenti inchieste fanno salire a 20.000 i romanzi che escono ogni anno in tutto il mondo. La maggior parte sono purtroppo intessuti di afrodismo e pansessualismo: perfino il nuovo tipo del romanzo poliziesco, edito da Longanesi, Garzanti, Giumar, è moralmente peggiorato, mentre la diffusione aumenta, trovando attenti ed affezionati lettori proprio tra la gioventù. Quasi sempre poi vengono riprodotti in films scabrosi e la pubblicità si adopera ad aumentare la malsana curiosità, facendosi sollecita di avvertire che sono proibiti ai minori di 16 anni, anzi ora anche di 18 anni [2].

Viene proprio da domandarci, se non si è troppo lasciato che i figli delle tenebre divenissero più prudenti dei figli della luce: nel settore stesso dell'agiografia abbiamo forse dimenticato uno dei rimedi, non certo l'unico, per arginare la spaventosa fiumana delle pubblicazioni romantiche. Per citare un esempio, quando si annunciò che si sarebbe rappresentato sulle scene « Il dialogo delle

---

[1] Bitelli: *Il prete della forca* - Paravia - 1960.

[2] A questo proposito si veda 1, articolo del P. Reginaldo Fracisco o. p.: « *Influenza del romanzo sul costume* » — *Palestra del clero* — 1 luglio 1960.

Carmelitane » di Bernanos, si rimase molto perplessi sulla sua riuscita, eppure l'esito superò ogni attesa.

Ecco perchè è caro augurarsi che il centenario del Cafasso (che si inserisce con quello del Santo Curato d'Ars e di S. Vincenzo de' Paoli, le cui mirabili vite « meglio in gloria del ciel si canterebbero ») ridesti anzitutto in noi sacerdoti, e per mezzo nostro nei fedeli, nuova attrattiva agli esempi dei Santi. E così susciti sacerdoti meglio preparati e laici di buon nome che impegnino parte del loro tempo e del loro ingegno a scriverci vite di Santi, che dal lato storico, letterario, artistico possano meritare il consiglio del Lacordaire, « Non leggete buoni libri, leggetene solo degli ottimi »

In realtà su questo cammino ci si è già messi; per citare qualche esempio, insieme al Bitelli già ricordato, ecco il Papasogli con le vite di Sant'Ignazio, S. Teresa Margherita Redi, di B. Innocenzo XI, il Bargellini nelle sue vite per ogni giorno dell'anno e il Rops con la vita di S. Vincenzo de Paoli. Bisogna quindi perseverare senza smarrirsi nel paradossale o nel romantico, come ci è capitato di vedere nella vita di S. Teresa del Bambino Gesù del Van de Mercher e in alcune vite del S. Curato d'Ars e di Luisa di Marillac, che li hanno presentati quasi precorritori dell'esistenzialismo moderno.

Ma lasciamo queste digressioni e ritorniamo al Cafasso.

Semplice itinerario.

Semplice è l'itinerario sacerdotale del nostro Santo.

Nasce il 15 gennaio 1821, a Castelnuovo d'Asti, patria anche di Don Bosco Santo, da una di quelle famiglie rurali, che danno anche oggi numerosi e ottimi figli alla Chiesa, come si compiace ricordarle con frequenza il nostro Santo Padre, rievocando i suoi modesti natali. Ordinato sacerdote, il 22 settembre del 1833, perfeziona i suoi studi col frequentare il Convitto, annesso alla chiesa di S. Francesco d'Assisi, diretto dal teol. Guala. In seguito lo aiuterà nell'insegnamento della morale; alla sua morte, (il 6 dicembre del 1848) gli succederà come rettore della chiesa di S. Francesco d'Assisi e del relativo Convitto ecclesiastico e insieme gli verrà affidata l'amministrazione del Santuario di S. Ignazio di Lanzo Torinese. Il Signore lo chiamerà a sè, non ancora cinquantenne, il 23 giugno 1860.

Ci troviamo davanti a un prete con modeste occupazioni di ministero, non religioso o fondatore di famiglie religiose, neppure parroco, e nemmeno onorato di quelle cariche e onorificenze, diocesane e pontificie, che non sono senza attrattiva anche per i buoni sacerdoti.

Questo modesto suo cammino ha però come sfondo l'ambiente del Risorgimento Italiano. La coincidenza dei due centenari se può offrire propizia occasione, agli stessi cultori di storia patria, per rivedere giudizi avventati, parziali o troppo euforici, a noi sacerdoti insegna come diportarci in circostanze non troppo dissimili dalle sue.

Atteggiamento ostile del Governo subalpino.

Forse a qualcuno potrà sembrare troppo forte un'espressione che troviamo proprio all'inizio della Lettera « *Qui nuper* » datata il 18 giugno 1859, un anno prima della morte del Cafasso, nella quale l'angelico Pio IX, deplora che il Governo italiano « negli ultimi anni fosse stato avverso alla Chiesa, ai legittimi suoi diritti e ai sacri ministri ». Ma anche il seguente brevissimo cenno, limitato agli ultimi anni della vita del Cafasso, ne offre la dolorosa conferma:

— nel 1850, l'abolizione del foro ecclesiastico e la rottura del Concordato con la S. Sede;

— nel 1852, la legge del matrimonio, cosidetto civile;

— nel 1855, la soppressione dei conventi e la confisca dei beni ecclesiastici; Torino precedeva con l'esempio, vennero così espulsi i Gesuiti, le Dame del Sacro Cuore, i Padri Serviti della parrocchia di S. Carlo; le Cappuccine proprio nel cuor della notte;

— i Vescovi di Torino e di Cagliari carcerati e poi condannati all'esilio. Ma l'elenco dei prelati arrestati, sottoposti a clamorosi processi e condannati a mesi o ad anni di carcere o assolti con espressioni indegne per la S. Sede, occuperebbe pagine intere;

— nelle elezioni del Piemonte del 1857 vennero compiuti gravi soprusi e si annullarono nomi di molti candidati cattolici; si dimostrò così vana l'opposizione cattolica sul piano legale e i cattolici furono costretti all'astensione, che determinò lo squilibrio tra il paese reale e il paese legale.

Intanto, mentre tutto si compiva in nome della libertà, si procurava con ogni mezzo di porre ogni attività della Chiesa e l'insegnamento stesso nei Seminari sotto il dominio oppressore del Governo.

La condotta del Clero

Non va taciuta la condotta d'una parte del clero.

Il Cantù così la descrive: « Non sempre in quei tempi il clero si trovava alla elevatezza della sua missione; molti preti manca-

vano della scienza necessaria e molti dell'ancora più necessaria pietà... Erano usi ai caffè e ai ritrovi, bazzicare passeggi e fin teatri, educarsi sui giornali e cianciugliare di politica col gergo liberalesco, con le romanze del Berchet e i lazzi del Giusti; inebriarsi al prossimo ritornare dell'Italia nel suo legittimo primato e parlare della secolarizzazione degli uffici ecclesiastici, della abolizione delle fraterie e dell'incameramento dei beni ». Qui sono ricordati, in modo particolare, i sacerdoti che facevano capo a Torino, ma, se la nostra disamina dovesse estendersi a tutta la penisola, potremmo ricordare le vie dedicate in qualche città « ai sacerdoti liberali ».

Ed ecco fatti più rilevanti.

All'erezione, sulla piazza Savoia in Torino, della colonna per immortalare l'abolizione del foro ecclesiastico, fra i promotori e i nomi ivi scolpiti, troviamo anche quelli di sacerdoti. Quando poi Vittorio Emanuele II° rimase incerto se firmare la legge della soppressione dei conventi, con la relativa confisca dei beni, e la stessa legge del matrimonio cosidetto civile, alcuni preti, canonisti e teologi, chiamati per consiglio, assicurarono unanimi il Sovrano che, con piena tranquillità, poteva firmare la legge.

Il Convitto ecclesiastico

E' in questi anni che si svolge l'attività del nostro Santo.

La prudenza poteva suggerirgli che era già sufficientemente impegnativa la carica di insegnante di morale: tanto più che nel Seminario arcivescovile la medesima cattedra era tenuta da un rigorista; e all'università statale insegnava ancora morale un giansenista, anche se in anni precedenti il Card. Francesco Saverio Castiglione (che fu poi Papa col nome di Pio VIII), nella sua qualità di prefetto della S. Congregazione dell'Indice, aveva dovuto intervenire presso il Governo, perchè ne venisse esonerato il teol. Giovanni Maria Dettori, inquinato di rigorismo e di giansenismo.

Il Convitto di S. Francesco d'Assisi era particolarmente malvisto dai sacerdoti liberali. Il Gioberti, nel suo « Gesuita moderno » lo definisce: « Una congrega palese e segreta, privata e pubblica, sacra e profana, laica e ieratica, plebea e patrizia, chiericale e monacale, religiosa e politica e andate via discorrendo... Il convitto è un collegio, un seminario, un monastero, un presbiterio, un capitolo, una penitenzieria, una chiesa, una cura, una curia, una corte, un'accademia, un conciliabolo, un ritrovo politico, un conventicolo fazioso, un'azienda mercantile, un banco di polizze, un'officina di giaculatorie, un lambicco di casi di coscienza, un semen-

zaio di errori, una scuola di ignoranza, una fabbrica di bugie, un filatoio d'intrighi, un nido di tranelli, un fondaco di pettegolezzi »[3]

Per questi motivi il teol. Guala ebbe la sua parte di insulti, di minacce e di perquisizioni: persino agonizzante, una squadraccia di malviventi inscenò sotto le sue finestre una dimostrazione ostile. Del resto lo stesso Cafasso, appena 17 giorni prima della morte, ebbe perquisita la sua abitazione.

L'insegnamento del Santo.

Una situazione così incresciosa non disanima il Cafasso dai suoi compiti di educatore e di maestro del clero.

Egli non era salito sulla cattedra per polemizzare, ma solo per insegnare la verità: non si rivolse ai giornali accreditati del tempo per confutare gli errori correnti, e nemmeno alle Autorità ecclesiastiche per invocarne l'intervento. Attinge la sua teologia morale da S. Alfonso de Liguori, che gli insegnò a combattere il rigorismo e il giansenismo perchè allontanavano i fedeli dalla pratica della vita cristiana, e insieme a basare l'ascetica sulla morale, redendola mezzo efficace di miglioramento e di perfezione spirituale.

Il Cafasso si valse anche della predicazione al clero e al popolo, specialmente nelle missioni e nei corsi di esercizi spirituali, per persuadere anche i più turbati dalle minacce rigoriste, che Dio è misericordioso anzi infinitamente misericordioso. « Tutte le prediche di Don Cafasso — si legge nel processo di beatificazione — anche le più terribili, finivano sempre per essere le più consolanti, giacchè i castighi eterni non venivano presentati che per coloro i quali, a dispetto di tutto quello che Dio poteva fare per convertirli, continuarono ad offenderlo ». Finirà così col disarmare i suoi stessi oppositori, che ne dovranno riconoscere la rettitudine e lo zelo indefesso.

Il nostro Santo non si rinchiuse esclusivamente nei precedenti studi, ma è il maestro che si sforza di essere sempre al corrente delle nuove ricerche, tanto che Don Bosco Santo dichiarò: « A rimirare il gran numero degli scritti che ci lasciò, si crederebbe che la sua vita sia stata impiegata al tavolino ».

Soprattutto mostrò come l'insegnamento è inseparabile dalla pratica. Di qui la sua assiduità al tribunale di penitenza. Venne perciò chiamato « il penitenziere generale di Torino », ricercato da Vescovi, sacerdoti, laici di ogni qualifica e condizione. Si vedevano riprodotti nella capitale del Piemonte, gli stessi caratteristici

---

[3] *Il Gesuita moderno*, vol. IV°, Losanna, Bonamici e C. 1847, pag. 374/375.

episodi, che nei medesimi giorni avvenivano ad Ars al confessionale di S. Giovanni Maria Vianney.

Non solo, ma ecco l'assistenza agli infermi e ai moribondi, non pochi dei quali alieni dai sacramenti e convertiti soltanto dal suo acceso amore per le anime.

Il prete della forca.

Quasi non gli bastasse, estende le sue predilezioni ai condannati alla forca. Cominciò fin dal 1830 e furono 70 quelli da lui assistiti, di cui 11 fuori Torino.

E qui bisognerebbe ricordare le deplorevoli condizioni delle carceri d'allora, e insieme la qualità dei reclusi, vera feccia dell'umanità, per la maggior parte miscredenti, bestemmiatori, rei dei più atroci delitti, così che anche saggi sacerdoti ritevano pregiudizievole al ministero e al buon nome occuparsi di loro.

Il Santo con le sue confortatrici sollecitudini e anche col sollevarli dalle infelici condizioni materiali, riuscì non soltanto a rassegnarli alla dura sorte e a offrire la vita in espiazione del passato, ma a infondere tale fiducia nella misericordia divina, da poterli assicurare, che la Madonna sarebbe loro venuta incontro per condurli subito in Paradiso. Quando si seppe che il Cafasso era morto, un sacerdote esclamò: « Chissà quante facce da forca saranno venute incontro al loro grande benefattore ».

Ricorderò fra tutti il gen. Ramorino, mazziniano, cospiratore, causa della sconfitta di Novara e per questo condannato alla forca. Il Santo non si disanimò di fronte alle continue ed ostili ripulse dell'infelice, e nemmeno alle reazioni della pubblica opinione, aizzata dai giornali liberali, che, ritenendo il generale un traditore, poteva maggiormente renderlo inviso alle Autorità governative, ma con la pazienza e la carità riuscì a prepararlo ad una morte edificante.

In tal modo il titolo di « prete della forca » che era prima in disprezzo e in contumelia venne, per suo mezzo, trasformato in un titolo di vera gloria.

Pioniere e percursore.

Ma l'ancorarsi del Santo nell'insegnamento tradizionale della Chiesa; il rigetto di soluzioni rigoriste, che si presentavano sotto lo specioso pretesto di una maggior sicurezza, mentre allontanavano dai Sacramenti e spingevano alla impenitenza e alla disperazione; il preferire invece giudizi pratici, ispirati alla misericordia divina, in una linea più consona alla morale evangelica e alla scelta pru-

dente di quanto le circostanze indicavano come probabile, non gli impedirono di far convergere col *vetera il nova.*

Divenne così il precursore dei decreti di S. Pio X che facilitarono la Comunione frequente e dei piccoli. Anzi si celebra quest'anno il cinquantenario, del decreto della S. Congregazione del Concilio « *Quam singulari* » dell'8 agosto 1910, in favore della Comunione ai bambini.

Il Santo fu altresì precursore nell'additare quella formula di santità che l'Accornero chiama: « consolante, innovatrice, moderna, perchè sancita nel magistero odierno della Chiesa ». « Il Cafasso, così egli, tra le molte variazioni dello schema della virtù eroica, scelse la norma ascetica che la Chiesa al presente usa fruttuosamente per la conoscenza della santità di un Servo di Dio, *ossia l'eroismo nel compiere la volontà di Dio e il proprio dovere,* perchè, come ha dichiarato il Santo Padre Benedetto XV: « La santità propriamente consiste solo nella conformità ai voleri di Dio, espressa in un continuo ed esatto adempimento dei doveri del proprio stato » [4].

Amore alla Chiesa.

A noi che ci troviamo in situazioni storiche che, sotto alcuni aspetti, possono richiamare quelle del Cafasso, gioverà studiare come Egli seppe comportarsi. Così potremo meglio corrispondere all'attesa dei nostri Vescovi, che ci hanno autorevolmente invitato a considerare il *laicismo* come « una tendenza, o meglio ancora una mentalità di opposizione sistematica ed allarmistica verso ogni influsso che possa esercitare la Religione in genere e la Gerarchia cattolica in particolare sugli uomini, sulle loro attività ed istituzioni » [5].

L'amore del nostro Santo al suo Arcivescovo si manifestò in modo particolare, durante i trenta giorni in cui Mons. Fransoni rimase in carcere. Andò più volte a visitarlo, trovò il modo di soccorrerlo, e non si preoccupò di quanto le autorità governative, i preti liberali e il popolino, sobillato dai giornali settari, avrebbero potuto compiere contro di lui e il suo Convitto. Quando l'Arcivescovo fu deportato a Fenestrelle, Egli continuò la sua filiale corrispondenza; e ricevendo la sua benedizione non riusciva a trattenere la sua commozione nel comunicarla agli alunni del Convitto.

Amava il Papa di un amore senza limiti. Avrebbe tanto desiderato di potersi inginocchiare ai suoi piedi, ma le difficoltà del

---

[4] Accornero: *La dottrina spirituale di S. Giuseppe Cafasso,* pag. 59.

[5] Lettera dell'Episcopato Italiano al Clero, 25 marzo 1960, n. 4.

tempo non glielo permisero. Riuscì però a sventare una congiura contro Pio IX mentre si trovava a Gaeta.

L'ubbidienza all'autorità ecclesiastica e in modo particolare al Papa era per lui la prima cosa. Non solo invitava ad accettare senza discussione gli insegnamenti della Chiesa e raccomandava: *il massimo rispetto e perfetta ubbidienza alla persona del Papa ed ai menomi suoi ordini;* ma inculcava a difendere constantemente la causa del Papa — con zelo — in faccia a chicchessia e soggiungeva che « *questo per il Clero era un dovere speciale* ».

Insieme vigilò attentamente che gli esempi di sacerdoti eccessivamente moderni e l'inflazione risorgimentale non penetrasse nel suo Convitto e danneggiasse i giovani a lui affidati.

Venne così deposto nei processi per la sua causa: « Egli era attaccatissimo al Papa, era, anzitutto, per il Papa. La venerazione che Egli aveva per il Sommo Pontefice poteva paragonarsi a quella di S. Alfonso de Liguori e dei più grandi santi, e di tutto cuore la manifestava in qualsiasi circostanza che si fosse presentata ».

Inoltre venne anche deposto « che la morte immatura si doveva attribuire al dolore per i mali che si commettevano contro la Chiesa ».

Doverosa prudenza.

L'incondizionata fedeltà alla Chiesa non lo dispensò dalla doverosa prudenza.

Ai confratelli, esasperati per le misure vessatorie del governo, amichevolmente osservava: « Ma voi siete proprio certi che tutte le colpe siano di quei signori che siedono a Palazzo Carignano? Non potrebbe darsi che le nostre malefatte abbiano dato una spinta e svegliato una così rabbiosa reazione da rendere il sacerdozio oggetto di scherno e di sarcasmo? Non incolpiamo soltanto la malizia dei tempi. Chi sa che negli alti ed inscrutabili giudizi di Dio prima cagione non ne siano i peccati nostri? ».

Agli alunni del Convitto e ai sacerdoti che si rivolgevano a lui per consiglio inculcava l'astensione assoluta da tutto ciò che potesse avere un aspetto politico: « questa era per lui norma sicura per combattere il regalismo ed un mezzo efficacissimo per mantenere il clero fedele alla sua missione ».

Era solito anche aggiungere: « Bisogna essere di nessun partito per virtù e mostrarsi di nessuno per prudenza: la politica del prete è la salvezza delle anime ». Sconsigliava i sacerdoti dal leggere i giornali liberali e, anche se ne avessero il permesso, da quelli

proibiti dalla Chiesa; li invitava ad astenersi da dispute che allontanavano dallo studio e dai doveri sacerdotali. Così chi lo ascoltava concludeva: « Don Cafasso ama la politica che fa sante le anime, non quella di governo ».

Nel periodo del 1859, che si svolse sui campi di battaglia, Egli suggeriva ai convittori: « Se per caso trovandovi in conversazione od in viaggio, qualcuno vi rivolge il discorso: — Signor abate che cosa dice lei di tutte queste cose? — Io non dico nulla, rispondete, io prego. — Ma per chi prega, per i francesi o per gli austriaci? Prego perchè le cose vadano bene —. Così schiverete ogni contestazione ».

Del resto la sua imparziale superiorità risulta anche dalle persone autorevoli della Corte e del Parlamento che ricorrevano a lui per consiglio e fra questi lo stesso ministro Alfonso Ferrero della Marmora.

Era tanta la stima di cui era circondato, che i suoi concittadini nel 1857 volevano nominarlo deputato al Parlamento per il collegio di Castelnuovo d'Asti. Alla commissione venuta a sollecitare il suo consenso rispose: « Nel giorno del giudizio Nostro Signore mi chiederà conto se avrò fatto il buon prete, non se avrò fatto il deputato ».

Meritamente venne deposto nel processo di Beatificazione: « Mentre con la sua illuminata devozione alla Chiesa Don Cafasso infervorò il clero nei suoi doveri verso Dio e l'umanità, con la sua astensione dalla politica salvò il Convitto, proprio nel momento in cui il turbine anticlericale distrusse tante istituzioni e corporazioni religiose ».

Zelo per le anime.

L'influsso esercitato sul clero fu decisivo: valga per tutti il fatto che Don Bosco Santo, se si decise a consacrarsi all'educazione della gioventù e a fondare una congregazione religiosa sotto la protezione di S. Francesco di Sales, lo deve al Cafasso. Egli stesso ebbe a dichiarare: « Se ho fatto qualche cosa di bene lo debbo a questo degno ecclesiastico, nelle cui mani deposi ogni deliberazione, ogni studio, ogni azione della mia vita ».

Non si potrebbe meglio scolpire questa sua alta benemerenza che con le parole di Pio XI: « Niuno forse più di lui ha scolpito nel clero piemontese dei secoli XIX e XX la sua impronta: Egli lo ha sottratto al clima disseccante e sterilizzante del giansenismo e del rigorismo, lo ha preservato dal pericolo di profanarsi e di sommergersi nella secolarizzazione e nel laicismo ». (*Rivista diocesana torinese*, gennaio 1925)

Quasi non bastassero le sue sollecitudini per il clero, mentre altri sacerdoti cercavano di scusare la loro inerzia con la nequizia dei tempi, il Cafasso seppe trovare altri campi di apostolato.

Torino si estendeva, nuove necessità spirituali si imponevano: eccolo quasi per il primo occuparsi degli spazzacamini e delle domestiche, fino allora molto trascurati; eccolo consacrarsi a un compito silenzioso e capillare verso i poveri e gli abbandonati, che andava a trovare nelle baracche improvvisate dei nuovi sobborghi: e a chi gli osservava che, per giungere nella soffitta dei poveri, ne soffriva il suo cuore, già così debole, Egli sorridendo rispondeva: « E' perchè voglio salire più in alto. Oh! non importa nulla! Io sono solito salire la scala della forca ».

La rassegna per quanto possa sembrare lunga è del tutto inadeguata. Forse potremo riuscire a completarla con l'epigrafe che Don Bosco dettò in occasione di un solenne ufficio funebre fatto per lui celebrare, in cui il Cafasso è chiamato: « Modello di vita sacerdotale, maestro per eccellenza del clero, padre dei poveri, consigliere dei dubbiosi, consolatore degli infermi, conforto degli agonizzanti, sollievo dei carcerati, salute dei condannati al patibolo, amico di tutti, grande benefattore della umanità ».

La spiegazione della sua attività.

Se ora ci domandiamo la spiegazione di un'attività così sorprendente, con le gravi preoccupazioni che l'accompagnavano e la salute sempre precaria, non la possiamo trovare che nella sua santità. Ed è una santità che non ci spaventa, perchè si inserisce nella formola sopra ricordata.

Nel nostro Santo sono assenti quei segni caratteristici, con i quali piacque talvolta al Signore manifestare la santità, come visioni, apparizioni, miracoli, impronte straordinarie nel corpo, tentazioni diaboliche, ecc.

Riguardo alle mortificazioni, forse la nostra eccessiva sensibilità rimane sorpresa davanti all'eroica penitenza del Santo Curato d'Ars, sebbene il Santo Padre paternamente ci abbia ammonito: « Ognuno, secondo la prudenza soprannaturale che deve sempre regolare le nostre azioni, valuti la propria condotta nei riguardi del popolo affidato alle sue sollecitudini pastorali. Senza mai dubitare della divina misericordia che viene in aiuto della nostra debolezza, consideri alla luce degli esempi di S. Giovanni Maria Vianney le proprie responsabilità » [6].

---

[6] *Sacerdotii nostri primordia* - Lettera Enciclica per il piissimo transito del S. Curato d'Ars, 1 agosto 1959, n. 44.

Il Cafasso vivrà la norma di S. Paolo: « *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes* »: lo si osserverà mortificato nei sensi, parco nel cibo e nel riposo, generoso nel sopportare il freddo e il caldo, dignitoso nel comportamento della persona, sempre vigile e attento a evitare letture e qualsiasi divertimento non rispondente alla sua massima: « I teatri, gli spettacoli, le sale di festa e di allegria, le ore di sollievo e di ricreazione hanno da essere per i sacerdoti le chiese, la camera di preghiera e di studio, l'amministrazione dei Sacramenti, le visite agli infermi, il soccorso ai poveri e l'esercizio perseverante della confessione per consolare le anime disperate ». Non si asterrà nemmeno dall'uso dei cilizi, per i quali talvolta, a sua insaputa, è stata trovata macchiata la biancheria. Ma sempre discreto consiglierà: « Le vere mortificazioni si manifesteranno nei sacrifici che impone la fedeltà ai doveri; si realizzeranno nelle circostanze necessarie della vita, in quelle piccole vicende che sono come indispensabili nella nostra vita; incomodi, dispiaceri, crucci, molestie, tristezze, malinconie, censure, motteggi, sarcasmo del mondo. Si potrà aggiungere qualcosa di libera scelta, ma tutto deve rimanere nel limite di particolarità dei piccoli sacrifici ». Temeva inoltre che le maggiori mortificazioni potessero suscitare segreto orgoglio e offrire al demonio occasione di tentazione.

Poteva così affermare: « Il nostro servizio al Signore è di servirlo continuamente in tutti i giorni e direi in tutti i momenti della nostra vita, servirlo con tutti noi stessi e servirlo a modo suo ».

In questa via di serenità, nel compimento sempre amoroso della volontà di Dio, Egli riuscì a rimanere sempre fedele al proposito della sua sacerdotale ordinazione: « *Signore, io non voglio, non cerco, non desidero che farmi santo e sarò il più felice degli uomini facendomi santo, presto santo e grande santo* ».

Ne troviamo una conferma in tutti gli anni del suo sacerdozio.

Uno dei testimoni nei processi apostolici, così ebbe a dichiarare: « Per quanto lo conobbi attesto che il Servo di Dio, aborriva non solo dal peccato mortale, ma con tutte le sue forze ancora dal veniale ed inculcava simili aborrimenti ai sacerdoti durante il tempo degli esercizi spirituali e a tutti nel confessionale e nei discorsi familiari ».

Vita di unione con Dio.

La fedeltà e fermezza nel generoso proposito Egli lo attinse nella preghiera. Il fervore con cui celebrava la S. Messa, com'Egli vi si preparasse e facesse il ringraziamento, lo si può dedurre da

questa sentenza che potrà sembrare persino eccessiva, ma che non ringrazieremo mai a sufficienza il Signore se riusciremo a metterla in pratica: « Vi è obbligo di premettere la debita preparazione alla S. Messa e far seguire il ringraziamento, onde chi abitualmente non lo compisse, almeno per un quarto d'ora, non saprei come scusarlo dal peccato anche grave, per l'irriverenza al sacrificio e per lo scandalo del popolo ».

Era così fedele alle pratiche di pietà, che oggi ci sono anche prescritte dal can. 125 del C.I.C., da dichiarare: « La Messa e il Breviario sono una grande cosa, quando fossero ben fatte, ma il sacerdote che celebra bene la Messa e dice il Breviario non se ne accontenta, aggiunge altre cose..... Gli esercizi di pietà devono trovare nella nostra vita giornaliera un posto, e ben determinato, poichè è di necessità che ciascuna abbia i suoi tempi fissi per la preghiera, un po' di meditazione, di lettura, qualche visita, un po' di adorazione al SS. Sacramento, la recita del Rosario, la revisione della giornata ».

Lasciamo piuttosto che un Santo parli di un altro Santo, ossia Don Bosco del Cafasso. Alla sua morte Egli ebbe a dichiarare: « Ho interrogato amici, compagni di scuola ed altri personaggi che ebbero lunga conoscenza di lui: ho domandato se nella vita di Don Cafasso avessero notato cosa meritevole di rimprovero, o semplicemente di essere corretta come difetto. Ma tutti concordano in asserire che nei 49 anni di vita non fu mai dato di notare una azione, un gesto, uno sguardo, una parola, od una sola facezia meno conveniente ad un giovane virtuoso, ad un chierico esemplare, ad un santo sacerdote. All'opposto parlando della santità positiva, che consiste nella pratica della virtù, tutti ne parlano con espressioni le più gloriose. Chi lo chiama un novello S. Luigi per innocenza e purità di costumi, altri lo dicono S. Vincenzo de Paoli per la grande carità che Egli usò ad ogni sorta d'infelici. Avvi poi chi non esita a chiamarlo un S. Carlo Borromeo per la rigidezza della vita e per l'austerità tenuta con sè medesimo, mentre lo chiamano un novello S. Alfonso per la dolcezza, condiscendenza e bontà ».

Conclusione

Il caro Santo ci aiuti a seguire coraggiosamente i suoi esempi. Anche in questo modo i nostri Vescovi rimarranno confortati nel constatare come siamo stati solleciti nel raccogliere i loro autorevoli moniti così sapientemente riassunti: « L'ultima parola non può essere che per noi, e non può essere che *un invito alla santità.*

Tutto quanto abbiamo detto finora non servirebbe a nulla, se non partisse da un presupposto essenziale: la *santità della vita sacerdotale.* Contro le facili tentazioni d'un naturalismo invadente, poggiamo il nostro sacerdozio sulle grandi realtà *della grazia, della preghiera, dell'unione intima con Dio, della mortificazione, dell'umiltà, del nascondimento, del dono disinteressato di noi stessi agli altri...* Siate fedeli fino in fondo alla vostra vocazione » (*Lettera dell'Episcopato Italiano,* n. 16).

Mons. Alfredo Maria Cavagna

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE REGIMINE VICARIATUS CASTRENSIS

Cum Romano Pontifici nihil gratius, nihil optabilius sit quam ut in catholico Orbe quae ad fidem et pietatem quaeque ad ecclesiasticorum Institutorum regimen pertinent disponantur, SS.mus Dominus Noster Ioannes, Divina Providentia PP. XXIII, Vicariatus Castrensis Columbiae administrationi satius consulere cupiens, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, de plenitudine Apostolicae potestatis, quae sequuntur decernit.

1. Vacante, qualibet ex causa, officio Vicarii Castrensis, nisi aliter ab Apostolica Sede provisum fuerit, regimen Vicariatus Castrensis Columbiae, usquedum novus Archiepiscopus Bogotensis muneris possessionem ceperit, penes Cappellanum Generalem, seu Maiorem, si adfuerit, esto, secus penes Cappellanum, vulgo « primero », qui, ad normam canonis 106, 3° C. I. C., ceteros praecedit.

2. Qui autem Vicariatus Castrensis regimen tunc assumpserit omnes et solas habebit facultates quae — congrua congruis referendo — Vicario Capitulari, iure communi, competunt, eiusdemque obligationibus obnoxius erit.

Ipsius praesertim erit de assumpto munere S. Congregationem Consistorialem monere ab eaque instructiones impetrare.

3. Causas subditorum Vicariatus Castrensis Columbiae, sive contentiosas inter ipsos sive criminales, tribunal metropolitanum Ordinarii Bogotensis in altera instantia pertractabit.

Ad haec exsecutioni mandanda Sanctitas Sua Exc.mum P. D. Iosephum Paupini, Archipiescopum titularem Sebastopolitanum in Abasgia et in Columbia Nuntium Apostolicum, deputare dignata est, necessariis et opportunis ei tributis facultatibus etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, atque onere imposito ad S. Congregationem Consistorialem quam primum tran-

smittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae fuissent.

Datum Roma, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 29 mensis Decembris anno 1959.

+ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

L. + S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. Sardicen. *Adsessor*

(*A.A.S.* vol. 52, pag. 164-165).

ADNOTATIONES

1. - In duobus institit praesens Decretum quoad gubernium Vicariatus Castrensis Columbiae, nempe circa regimen interinum Vicariatus vacante Sede Bogotensi cui coniungitur, et circa exercitium potestatis iudiciariae ipsius Vicarii Castrensis.

Revera, Concordatum seu Conventio inter Leonem XIII et Praesidem Reipublicae Columbianae die 31 dec. 1887 inita et die 5 iul. 1888 rata habita [1], art. 20 providet: « Exercitus Reipublicae exemptionibus, gratiisque fruetur, quae sub generali privilegiorum castrensium nomine cognoscuntur, quasque Sanctitas Sua separatim determinabit ». Nescimus utrum haec determinatio umquam vel quonam sensu facta sit. Nihil explicite habebatur de exemptione iurisdictionali Cappellanorum militarium, qui iam ab eo tempore in exercitu Reipublicae pastorale ministerium exercent. Verum, dum iam verisimiliter in praeparatione erat Instructio *Sollemne semper*, 23 apr. 1951 [2], etiam in Columbia formaliter erecta est quasi-Praelatura personalis seu Ordinariatus militaris, qui proprie Vicariatus Castrensis appellatur (13 oct. 1949), cum iurisdictione

---

[1] Perugini, *Concordata Vigentia*, Romae 1934, p. 327 ss.

[2] *AAS.* 1951 (42) pp. 562-565.

[3] *Annuario Pontificio* 1960, p. 844. In *AAS.* huiusmodi Decretum invenire non potuimus; nondum enim eo tempore similia erectionis Decreta publicabantur.

exempta ab Ordinariis locorum, et cum coniunctione cum Sede Metropolitana principe in Repubblica, nempe cum Sede Archiepiscopali Bogotensi [3], ut in pluribus Statibus ordinatione Apostolica viget.

2. - Cum igitur officium Vicarii Castrensis in Columbia coniungatur cum officio Archiepiscopi metropolitani Bogoten., vacante Sede Bogoten., necessario vacat quoque officium Vicarii Castrensis, usque dum novus Archiepiscopus Bogoten. sedis canonicam ceperit possessionem. At coniunctio est tantum personalis seu ad personam, non vero realis; ideo duae habentur Curiae, saltem pro sectione administrativa. Quare, tempore vacantiae, veluti scinditur, et successioni in Sede Bogoten. iuxta ius commune providetur, in officio vero Vicarii Castrensis iuxta praesens Decretum. Quod Decretum (n. 1), secundum praxim sat generalem inter iurisdictiones militares exemptas [4], ad analogiam cum iure missionario aperte provocat (c. 309). Mortuo igitur vel ab officio quacumque de causa amoto Archiepiscopo Bogoten., gubernium Vicariatus Castrensis illico adsumit Cappellanus Generalis seu Maior, si adfuerit; secus senior Cappellanus, cui nempe est prae coeteris Cappellanis ius praecedentiae ad normam c. 106, 3°.

Utriusque autem officium adsumentis potestatis mensura erit potestas Vicarii Capitularis (cc. 429 ss.). Quare, uterque obligatur ad S. Congregationem certiorem de adsumpto munere faciendam et ad instructiones ab ea impetrandas. Et obligationibus tenetur Vicarii Capitularis, praesertim c. 436. Nihilominus, distinctio facienda videtur circa originem iuridicam potestatis utriusque. Dum enim Cappellanus Maior ex officio gubernium Vicariatus Castrensis adsumit, senior Cappellanus potius agere videtur ex delegatione a iure, sicuti senior Missionarius.

3. - Denique in citata Instructione, quamvis ponatur Vicarius Castrensis ordinaria, at speciali, frui iurisdictione (art. 1), pro iurisdictione tribunalitia dicitur expresse: « Pro causis subditorum Vicariatus Castrensis sive contentiosis inter ipsos sive criminalibus Vicarius Castrensis tribunal aliquod dioecesanum vel metropolita-

---

[4] Cfr. v. gr. Decreta erectionis Vicariatus Castrensis Hollandiae, 16 apr. 1957 (*AAS.*, 49 (1957) pp. 742-744); Reipublicae Argentinae, 8 iul. 1957 (*AAS.*, 49 (1957), pp. 866-868); Belgii, 7 sept. 1957 (*AAS.*, 49 (1957), pp. 940-943); Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis (*AAS.*, 49 (1957), pp. 970-973); Reipublicae Dominicanae, 23 ian. 1958 (*AAS.*, 50 (1958), pp. 480-483). Cfr. A. Pugliese, *Adnotationes* (*Monitor Eccl.* 83 (1958), pp. 191-235; 623-633.

num semel pro semper, ab Apostolica Sede adprobandum, designat » (art. 3, capov.).

Siquidem, adsimilatio Vicarii Castrensis aliis omnibus, etiam personalibus, Ordinariis in Ecclesia eidem confert triplicis generis potestatem, sive legislativam scil., sive coactivam sive executivam. Attamen exercitium potestatis coactivae seu iudiciariae in forma sollemniori nempe per proprium tribunal eidem interdicitur. Quare ille exercebit per alius Ordinarii Tribunal, quod semel pro semper ipse seligat, Sede Apostolica adprobante. In casu, ex Decreto praesenti Tribunal selectum erit Bogoten. pro prima instantia, Medellinen. pro altera. Quod semel pro semper selectum tribunal nomine et auctoritate Vicarii Castrensis delegantis causas Vicariatus sive contentiosas sive criminales pertractabit, ad normam cc. 1606-1607 [5]. In casu, Vicarii Castrensis selectio in Decreto supponitur, illaque in duabus momentosioribus Metropolibus Columbiae incidit. Manet vero semper in Vicario Castrensi exercitium potestatis coactivae quod ministerium tribunalis non requirat, veluti si paterne et administrative aut disciplinariter in aliquem sibi subiectum ipse animadvertat. Extra competentiam Tribunalis selecti manet semper iurisdictio Auctoritatis Militaris in omnes et singulos Cappellanos qua officiales in Exercitu Reipublicae.

Augustinus Pugliese
A studiis S. C. de Religiosis

---

[5] F. A. Pugliese, *Storia e Legislazione sulla cura pastorale alle Forze Armate*, Casale, 1956, pp. 128-129.

JURISPRUDENTIA

SACRAE ROMANAE ROTAE ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

NARNIEN.

Nullitatis matrimonii ob defectum formae.

Sententia definitiva diei 12 octobris 1957.

Species Facti - Mense septembri a. 1943, post copiarum italicarum cladem, et indutias impetratas, Raphael, juvenis viginti circiter annorum, tamquam miles fugitivus, refugium invenit, atque hospitium ac victum obtinuit, apud consanguineoos puellae Aemiliae: quacum, aetatis fere paris, commercium epistolare jam nexuerat — ut tunc moris erat — tamquam cum « matrina ».

Itaque, simul cum hospitibus, pluries Raphael sedem mutare debuit, bellicis eventis compusus: donec, mense octobri, in oppido « Stroncone », dioecesis Narnien., definitive constitit.

Erant, tunc temporis, istius oppidi fideles distinctis duabus paroeciis aggregati, idest paroeciae Ecclesiae Matricis S. Michael's Archangeli, et paroeciae S. Nicolai: non autem ratione territorii, in quo uniuscuiusvis domus sita inveniebatur, sed certae peculiaris normae, a saeculis equidem in pago vigentis, quae vim legis localis — Ordinario probante vel non contradicente — practice exseruerat.

Talis vigore legis, ii omnes qui alibi nati in oppidum, sive transeuntes peregrini, sive permanentes hospites adveniebant, statim paroeciae matricis Ecclesiae additi censebantur, nisi fidelibus alius paroeciae, idest S. Nicolai, vinculo matrimoniali sese adligaverint: nam, per tale vinculum, oppidani consortis paroeciam sortiebantur.

Sed, in oppido eodem, et tertia ecclesia inveniebatur, S. Francisco dicata, cum adnexo conventu fratrum ex Ordine Minorum: in qua — fidelibus ex pietate id postulantibus — non infrequenter etiam sacrae functiones peragebantur, quae parocho a jure reservantur, non excepta matrimoniorum celebratione.

Quod et in casu nuptiarum harum reapse contigit: quamvis enim, utpote advenae, sub parochi S. Michaelis ditione ambo contraentes invenirentur, ad ecclesiam S. Francisci, die 2 decembris 1943, per ministerium rev.di P. Joannis, qui tunc curio erat S. Nicolai, sacramentali foedere conjungi voluerunt.

Post hoc, vita eorum communis, obortis litibus vix non statim, uno tantummodo anno perduravit.

Per libellum diei 14 februarii 1952, vir matrimonii nullitatem accusandam censuit coram Tribunali Regionali Umbro: sive praetensum metum denuncians, quem in ordine ad contrahendum se passum esse ponebat, sive (confuso equidem modo) canonicae formae defectum, ob jurisdictionis carentiam in sacerdote assistente.

Cecidit, profecto, primum ex allatis capitibus, in sententia quae in Tribunali illo, die 12 decembris 1953, pronunciata est, non autem alterum caput, cuius gratia, controversum matrimonium nullum de claratum fuit.

Appellante Defensore vinculi, res ad Sacram Rotam pervenit, et heic, per sententiam diei 31 octobris 1955, et unum et alterum accusationis capita amandata fuerunt.

Appellavit tunc actor ad turnum sequentem, apud quem, auctis actibus per documenta novissime adquisita, quaestio, citatis citandis, tertio nunc ponitur per formulam: « An sententia Rotalis diei 31 octobris 1955 confirmanda vel infirmanda sit ».

In Jure. - De capite metus, sicut jam patet ex dictis, non amplius agendum erit, utpote quod per duplicem conformem dimissum jam est.

Defectum formae quod attinet, sufficiat pro casu adnotasse jurisdictionis potestatem (cui — ut notum est — facultas matrimonio adsistendi assimilatur) aliam esse stricte personalem, aliam stricte territorialem, aliam mixtam.

Stricte seu exclusive personalis exercetur in personas, quae legitime subditae sunt, praescindendo a territorio in quo, stabiliter vel transeundo, de facto inveniantur: in easque tantummodo. Ideo, ubique terrarum valide ac licite exercetur in personas subditas, invalide in non subditas.

Talis - vi Tridentinae disciplinae, fuit jurisdictio Ordinarii vel parochi, in re matrimoniali: quae, tamen, per decretum « *Ne temere* » (in C.J.C., quoad huiusmodi, receptum), in stricte territorialem conversa est.

Talis pariter semper fuit, et adhuc est, jurisdictio Superiorum Majorum in Ordinibus Religiosis clericalibus, et in quibusdam Congregationibus Religiosis.

Talis adhuc est jurisdictio Ordinarii Castrensis, in Italia, erga membra exercitus terrae, maris, aëris, eorum familiares etc. (quod et in aliis nationibus constitutum est), itemque cappellanorum militarium, qui parochorum stricte personalium juribus fruuntur, unusquisque — uti par est — pro subditis sibi assignatis.

Dabantur quoque, jure vetere, « paroeciae mere familiares aut personales », quae tamen in praesens amplius constitui non

possunt, sine speciali apostolico indulto. Et, de facto, adhuc, de plenitudine potestatis Sedis Apostolicae, constituuntur, verbigr. pro Regibus, pro Praesidibus Statuum, eorum familiis etc.

Utcumque, praecipitur in Codice: « ... ad constitutas (familiares vel personales paroecias) quod attinet, nihil innovandum nisi consulta Apostolica Sede » (can. 216, § 4).

Ex adverso, jurisdictio mere territorialis non tam personas respicit, quam territorium: unde, a competenti Superiore valide semper exercetur sive in subditos sive in *non subditos*, qui actu in territorio, licet ad breve tempus, inveniuntur, et jure peculiari non eximantur.

Classicum talis jurisdictionis exemplum, in hodierna disciplina, proprie est quod matrimonii celebrationem spectat (can. 1095, § 1, 2°) .

Tertio loco, jurisdictio datur, quae mixta re vera dici potest, quia mixta est. Illa est, quae locorum Ordinariis et parochis competit, verbigratia, in audiendis confessionibus: vi cuius, Ordinarius vel parochus *omnes omnino* (nisi peculiari lege eximantur: velut, ex. gr., moniales intra monasterii septa, etsi monasterii territorium per se exemptum non sit) valide ac legitime absolvunt, et *suos subditos* ubique terrarum (can. 881).

Denique casus non est obliviscendus, quo jurisdictio paroecialis amplectatur *non* distinctum, seu *non* exclusivum, sed territorium, quod cumulative cum alio, vel cum aliis, possidetur.

Tunc, singulis huius territorii parochis, in universo territorio, facultas competit valide adsistendi quorumque matrimoniis, etiam personarum non subditarum: quod contingere solet ubi parochi pro fidelibus ad diveras nationes, vel linguas, vel ad diversos ritus pertinentibus, constituuntur in uno eodemque territorio (Cappello, *De Sacram.*, vol. V, n. 665, ed. VI).

In facto. - Tota quaestio est in definiendo cuius praecisae naturae fuerit jurisdictio (certo certius peculiarissima, et communes normas praetergrediens), quae parochis S. Michaelis et S. Nicolai, in oppido « Stroncone », tunc competebat cum matrimonium, de quo controvertitur, celebratum fuit.

In hac quaestione diluenda, nihil conferre possunt — uti par est — declarationes partium in causa, ac testium in genere.

Sed, malo fatu, nec Curiae Narnien., aut sacerdotum in loco nunc degentium: quorum litterae et depositiones gravi confusione laborant, aut assertis gratuitis, vel inter se non convenientibus.

Ideo, perpaucorum documentorum, quae actis datum fuit acquirere, vox est tantummodo audienda, eaque pensanda et sedulo interpretanda.

Sententia primi gradus, relevans advenas omnes, qui ad oppidum accedebant, vel transeundo, vel novi ac stabilis domicilii constituendi causa, ipso jure ad paroeciam S. Michaelis adscriptos mansisse, ex hoc tantum consequi opinatur ad praedictam S. Michaelis paroeciam totum pagi territorium pertinuisse, utpote paroeciae Ecclesiae Matricis. Et addit: « Cum erecta fuit paroecia S. Nicolai, nulla prorsus aderat ratio cur territorium totum pro indiviso utrique assignaretur... evidenter, quamvis ob causas nobis ignotas, origo novae paroeciae explicatur ablatione quarumdam familiarum a jurisdictione paroeciae matricis ».

His freti, Judices illi pronunciare non dubitarunt quod rev. P. Joannes, parochus S. Nicolai, utpote parochus territorio carens, nequivit, absque delegatione, valide adsistere nuptiis istis extra ecclesiam suae paroeciae: nam contrahentes neque ratione territorii ipsi subditi esse poterant, neque ratione personarum: erant enim advenae, et, qua tales, sub ditione parochi S. Michaelis indubie constituti.

Sed thesis huiusmodi magis perspicua et speciosa dicenda est, quam vera et probata. Destituitur enim quolibet gravi fundamento: porro, tabulis fundationis deficientibus, ac silentibus prorsus documentis circa jurisdictionem territorialem alterutrius vel utriusque parochi, gratis asseritur territorium integrum pagi, tunc cum paroecia S. Nicolai constituta fuit, permansisse sub ditione paroeciae matricis. At, infra, de huiusmodi sermo redibit.

In diversam prorsus sententiam praeclari DD. Auditores praecedentis Turni, contra quem appellatum est, abeundum censuerunt. Valide, enim, quamvis non licite, revdum Patrem Ioannem matrimonio huic adstitisse edixerunt in ecclesia S. Francisci, eo quod ipse rev. Pater, etsi parochus non competens ratione personarum (quae — ut pacificum est — advenae erant in pago, et ideo parochi S. Michaelis subditae), competens tamen erat saltem ratione territorii Stronconensis: quod profecto, ad praelaudatorum PP. Auditorum mentem, commune et indivisum, seu *non distinctum*, et uni et lateri parocho subiectum constanter permansit, usque a die fundationis utriusque paroeciae.

Quamquam haec thesis habet pro se litteras, quas Exc. Ordinarius loci, die 18 junii 1955, S. Rotae mittendas curavit, et ipsa nihilominus, utpote quae solido fundamento caret, amandanda est.

Praedictae enim Episcopi litterae simpliciter assertis aliquando innituntur, et, interdum, documentis nonnullis, quae, ubi rectae atque obviae interpretationi locus detur, nihil omnino habent de territoriali jurisdictione parochorum in themate. Ita ut Episcopus

ipse, in litteris novissime datis, se ancipitem ostendat, seu inter opposita judicia haerentem.

Legitur in litteris Episcopi diei 18 junii 1955: « ... da notizie raccolte *da un documento di Curia,* e sopratutto da informazioni raccolte aStroncone da anziani degni di fede, posso riferire quanto segue partitamente:

Ad I) - Le due parrocchie erano... giuridicamente indipendenti l'una dall'altra, pur avendo tutte e due l'identico territorio (id autem — ut mox videbimus — numquam in documentis quibuslibet asseritur; ac seniores loci, etiam si sacerdotali dignitate aucti, nihil vividum ac certum deponere valuerunt).

Ad II) - I parroci erano *stricte personales,* e il territorio di Stroncone era comune a tutti e due (sed asserta haec — uti patet — implicant in terminis: nam, si territorium pagi commune erat pro utroque parocho, consequenter parochi illi *non* erant stricte personales).

Ad III) - Omittitur.

Ad IV) - I due parroci potevano celebrare matrimonii nella chiesa di S. Francesco, come in loro territorio (sed, per hoc assertum, contradicitur voto ab eodem Episcopo in scriptis dato, die 30 junii 1953, quo rev. Pater Ioannes declaratur parochus *non* competens, quia quovis titulo destitutus, ideo dicitur *invalide* matrimonio huic adstitisse in ecclesia S. Francisci).

Hisce cunctis prae oculis habitis, eaque inter se attentissime conferens, infrascriptus praesentis Turni ponens enixe adprecari tenuit Ordinarium Narniensem ut S. Rotae mitteret illud « documento di Curia », quod, adiunctis id requirentibus, directo Judicum examini subiicere conveniebat.

Et Ordinarius, huiusmodi petitioni satis faciens, non unum tantum, sed bina remisit documenta, videlicet:

1°) - Exemplar instrumenti concordiae, quod, die 7 novembris 1777 ad vetustissimas lites componendas inter Capitulum Collegiatae S. Michaelis et Capitulum Coollegiatae S. Nicolai, redactum est.

Hoc documentum, anteacto tempore, jam actis adquisitum fuerat, in praecedenti judicii instantia.

Argumenta litium — quemadmodum ex tenore documenti indubie patet — nedum jura praecedentiae inter Capitula respiciunt, sed etiam paroecialia jura, quae archipresbytero S. Michaelis et Vicario curato S. Nicoolai spectabant. Quorum omnium gratia, disputationes et altercationes et contestationes *a saeculis-* — uti

legere datum est — ac fere continuo oriebantur, cum scandalo fidelium.

Cadit, proinde, opinio Judicium primae instantiae: juxta quos, paroecia S. Michaelis longe vetustior esset, et ipsa sola totum pagi territorium subiectum usque ab initio habuisset, dum altera, saec. XVII fundata, solummodo certas personas seu familias subditas acquisivisset.

E contra, plene patet quod utriusque paroeciae existentia jam plurisaecularis habebatur eo tempore, quo instrumentum concordiae redactum est (mense novemb. 1777). Sed simul patet signum quodvis de jurisdictione territoriali, quae uni aut alteri parocho competeret, in hoc documento nullimode deprehendi posse; quin imo, clara in eodem inveniri vestigia de litibus, *per saecula*, quae proprie exardescebant propter incertitudinem et ambiguitatem illius peculiarissimae jurisdictionis personalis, idest stricte personalis, in utroque parocho, ab immemorabili vigentis.

2°) - Exemplar cuiusdam relationis verbalis, concinnatae currente visitatione pastorali Episcopi Moretti, die 20 junii 1915.

Sub huius documenti luce, plura clarescunt, et apprime confirmatur nullam omnino territorialem jurisdictionem, uni aut alteri parocho, umquam spectasse. En documenti huius verba:

« Sua Eccellenza mons. Vescovo, *anche per desiderio espresso dal rev.mo Arciprete mons. Angeletti*, progettò che, di comune accordo fra i due parroci, si addivenisse a una più razionale divisione territoriale, per evitare l'attuale e antico confusionismo, che già dette luogo a dissensi e litigi, mentre la giurisdizione si distingue per cognomi, e i forestieri si considerano tutti dipendenti dal parroco di S. Michele Arcangelo (ergo: nihil omnino de jurisdictione territoriali unius, vel alterius, vel utriusque!), facendo sì che molte volte avviene che in una sola casa vi siano individui, che appartengano ad una parrocchia, ed alcuni ad un'altra. Per quanto la progettata divisione per territorio sarebbe vantaggiosa... pure, dopo lunga discussione, non si viene ad alcuna concreta conclusione, *per l'ingiustificata ma mancata adesione del parroco Sopranzi* ».

Age nunc:

1°) - In relato documento apertissime agnoscitur quod « attuale ed antico confusionismo », in quo perennis discordiae fomes reponendus est, proprie repeti debet ab adiuncto peculiarissimo, vi cuius « la giurisdizione si distingue per cognomi... facendo sì etc. ».

At, praeter quam quod in verbis istis — ut jam notavimus — nihil prorsus habetur de jurisdictione territoriali, remanet etiam considerandum quod, in hypothesi jurisdictionis territorialis utrique parocho, quoad totum territorium, spectantis, difficilius dissensionibus et contestationibus ansa data fuisset. Etenim, jus praeventionis uni et alteri parocho in casu spectavisset: cuius vi, qui prior manus apponebat, nedum valide, sed et legitime agebat saltem ratione competentiae territorialis.

2°) - Pariter, in hoc documento declaratur quod « la progettata divisione per territorio sarebbe vantaggiosa ».

3°) - Tandem, ibi adhuc asseritur (velimus ne excidat!) disceptationes et discussiones quascumque, de re, absolute fefellisse non ob renitentiam archipresbyteri S. Michaelis (qui, e contra, divisionem territorialem proposuerat et pro ipsa instabat), sed ob renitentiam parochi S. Nicolai.

At, in divsione territoriali, quae prospiciebatur, parochus seu archipresbyter S. Michaelis (si re vera totum territorium pagi ipsi subiectum semper remanserat) multum perdidisset, nam in posterum dimidiam tantum territorii partem habuisset, et multum parochus S. Nicolai, hucusque, in hypothesi, quavis territorii parte carens, acquisivisset.

Adhuc: in hypothesi quod uterque parochus jurisdictionem super totum pagi territorium habuisset, multum in divisione perdidisset archipresbyter S. Michaelis, cuius jura potiora extabant (nam ipsi pertinebant advenae et quovis titulo supervenientes in pagum), longe minus parochus S. Nicolai.

Ergo, in hoc documento confirmatio habetur de carentia cuiuscumque territorialis jurisdictionis tam in uno quam in altero ex parochis: quorum unusquisque, juxta vetustam et immemorabilem loci traditionem, paroecianos sortiebatur per nomina, seu per familias, nec ullo modo per territorium. Agitur, proinde, *de parochis stricte personalibus*.

Jam ex his liquido profluit quid dicendum sit de valore matrimonii in themate: quod a rev. Patre Joanne, tunc parocho S. Nicolai, celebratum fuit in ecclesia S. Francisci, sine ulla delegatione, etsi contrahentes ambo subiecti extarent ditioni archipresbyteri S. Michaelis:

Nam, revdo Joanni licentiam seu delegationem defuisse, ex actibus ambigi non potest. Non enim cum delegatione confundi potest illud « procedatur » seu « contrahatur », quod Episcopus, vel Curiae administri, inspectis documentis, scipto vel ore pronunciarunt: sicut in Curiis omnibus fere quotidie contingit!

Nec, cum praeclara sententia Rotali appellata, recursus liceret, pro valore matrimonii in casu sustinendo, ad statutum can. 209, idest provocando ad errorem quemdam *communem*, qui in pago verificabatur propter incertudinem jurisdictionis, qua parochi fruebantur.

E contra, nihil magis perspicue e processualibus tabulis emergit, quam plena ac pacifica possessio, in utroque parocho, propriae jurisdictionis stricte, seu exclusive, personalis, relate ad subditos unicuique spectantes: in qua asserenda et vindicanda — decursu saeculorum — constanter hinc et inde certatum est usque ad annum 1945, quando divisionem territorialem Episcopus imposuit (cfr., inter alia, litterae Vicarii Gen. Narnien. ad ponentem, sub die 15 februarii 1957).

Unde, si error quivis in casu forte irrepserit, huiusmodi error *non communis*, sed *particularis* fuit, idest error rev.di Patris Joannis: siquidem, in aprico erat quod eius jurisdictio, qua parochus S. Nicolai, extendebatur ad personas et familias ipsi per cognomina subiectas, et ad eas tantummodo. Quarum personarum matrimoniis, ubique terrarum, ipse valide adsistere poterat: non autem aliarum quarumcumque, nisi forte in propria paroeciali ecclesia.

Attamen, potius quam de errore, videtur loquendum de ignorantia vel negligentia: propter quam — ut vidimus — contestationes inter paeochos non infsequenter oriebantur.

Restat, pro thesi Nostra fulcienda, ut nonnihil adiiciatur de origine huius particularissimae jurisdictionis in parochis Stronconensibus.

Tabulas fundationis utriusque paroecia invenire ac requirere satagens, ponens infrascriptus litteras dedit, die 26 januarii 1957, ad Curiam Narnensem. Respondit Viiarius Generalis paroeriarum Stronconensium fundationem nocte saeculorum obtegi, sed e documentis constare quod oppidum, saltem usque ad annum 1500, sub ditione manserat Abbatiae Benedictinae Farfensis.

Voluit proinde idem ponens etiam Abbatem S. Pauli, de Urbe, cui in praesens Abbatia Farfensis subiecta est, interrogare, et ab eo hoc responsum recepit: « ... Per me ritengo che il dato di fatto, esposto dal Vicario Generale di Narni, sia esatto, e che tale situazione assai bene ricorda se non il diritto (ma è ben probabile!) certamente la mentalità dei Longobardi (Farfa è stata Longobarda) ... nel caso, sembrerebbe certo, dato appunto il diritto longobardo, che nessuno dei due parroci avesse giurisdizione territoriale. Questa era solo, forse, dell'Abate ecc. ».

Haec, sine dubio, album calculum demonstrationi Nostrae adiiciunt: quod enim prima fronte irrationabile videretur, logicum ac firmum fit ex forma mentis longobardica, quae olim in hac terra imperavit.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno,... definitive sententiamus, respondentes ad dubium propositum: « Nevative ad primam partem, affirmative ad alteram: seu, sententiam Rotalem diei 31 octobris 1955 esse infirmandam, ideo constare de matrimonii nullitate, in casu ».

Boleslaus Filipiak
Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli, *ponens.*

Coram R. P. D. Aurelio Sabattani, *Ponente*

IBAGUEN

Nullitatis sententiarum - Nullitatis matrimonii

(Salcedo - Gonzales)

Sententia definitiva diei 27 novembris anni 1959.

In Jure: Quoad nullitatem sententiarum.

3. - *Defectus citationis ac interventus Defensoris Vinculi ad singula acta judiciaria: consequens actorum nullitas.*

A) Cum ipsa lex contineat sanctionem nullitatis, de enuntiatione supra relata nullum adest dubium.

Recitat enim can. 1587, § 1: « In causis in quibus eorum praesentia requiritur, promotore justitiae aut vinculi defensore *non citato,* acta irrita sunt, nisi ipsi, etiam non citati, revera interfuerint » et § 2: « *Si legitime citati aliquibus actis non interfuerint,* acta quidem valent, verum postea eorum examini subiicienda omnino sunt, ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere, quae necessaria aut opportuna judicaverint ».

Non sufficit ideo quaedam *citatio initialis* Defensoris Vinculi, non sufficit *citatio « una tantum » facta* ad effectum singulorum actorum judicialium. quae inde sequentur: id eruitur ex § 2 citati canonis.

B) *Contraria conclusio* videretur quandoque cohonestata a doctrina et jurisprudentia, quae innuunt alicui citationi Defensoris Vinculi facta « *ab initio instantiae* ».

Lega-Bartoccetti (Commentarius in judicia ecclesiastica, 1950, Vol. I, p. 157, n° 9) scribit: « Hisce in causis in quibus huius officialis interventus requiritur, debet hic citari ab initio instantiae, non aliter ac partes contendentes citantur, secus acta irrita sunt ».

Item Decretum S.R.R., coram Cajazzo, diei 5 aprilis anni 1949 (apud: Torre, Processus matrimonialis, Ed. III, p. 375) repetit: « In causis in quibus requiritur interventus Defensoris Vinculi, hic citari debet ab initio instantiae non aliter ac partes contendentes, secus acta irrita sunt, praescribente can. 1597: ' defensore vinculi non citato, acta irrita sunt ' ».

Ast huiusmodi citationis initialis, qua de alicuius causae introductione Vinculi Defensor certior fit, *alia est lex praeceptiva, nempe can. 1967*, qui invenitur in capite « De tribunali constituendo »: « Si agatur de nullitate matrimonii, ... citari debet Defensor Vinculi matrimonialis »; *alia est sanctio nullitatis, sane can. 1894*: « Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando: 1° defuit legitima citatio... ».

C) *Citatio initialis* Defensoris Vinculi *confundi*, ideo, *non debet cum singulis* eiusdem defensoris *citationibus*, decursu causae faciendis.

Diversi enim sunt fines et diversi quoque sunt effectus utriusque citationis. *Citatio initialis* relationem dicit cum sententia definitiva, et huiusmodi citationis *defectus*, utique non sanatus, reapse *operatur circa sententiam*, eamque reddit nullam. E contra, *defectus citationis singulae* ad aliquem actum judiciarium, *operatur circa actum ipsum*, non vero, per se, circa sententiam.

Reapse, si Tribunal aliquod causae nullitatis matrimonii initium dederit, haud citato Defensore Vinculi; postea vero totam causae instructionem commiserit per litteras rogatorias alii Tribunali, quod suum Defensorem Vinculi adhibuerit semper; inde prius Tribunal decisionem pronuntiet: tunc haberentur simul, relate ad interventum Defensoris Vinculi, acta singula valida et sententia nulla.

Distinctio ideo inter utramque citationem magni momenti est.

4. *Ex defectu singularum citationum vel interventuum Defensoris Vinculi nullitas sententiae non semper consequitur.*

A) Liceat ad hanc thesim explicandam usurpare verba, quae

dilucida decisio coram Parrillo (S. R. R. Dec., Vol. XXV - 1933 - Dec. 48, p. 421) adhibet relate ad interventum Promotoris Justitiae: « Interventus (Defensoris Vinculi) in causa, pro actorum et sententiae validitate, sub duplici aspectu considerari debet. Vel enim eius interventus est necessarius, quia res est... (de vinculo sacrae ordinationis vel matrimonii tuendo), et tunc eius neglectus secumfert sententiae nullitatem ad normam can. 1894, 1°, ob defectum citationis illius, qui in judicio partem essentialem habebat. Vel, posito eius interventu, in uno vel pluribus actis non citatur ad interessendum, quando ipse interesse debet, et tunc acta quidem sunt nulla (can. 1587, § 2), haud vero semper sententia, quae supra his actis nullis fuerit prolata.

« Nullitas actorum est quid diversum a nullitate sententiae, nec ex illa haec altera semper et necessario sequitur... ».

B) *Nunc constabiliendum est, quandonam nullitas quorundam actorum ob non citatum et absentem Defensorem Vinculi secum trahat nullitatem sententiae.*

a) *Doctrina,* ex can. 1680, § 2, docet haberi nullitatem derivatam, quando « actus in se habet omnia necessaria elementa et formam praescriptam, sed ab actu nullo, tamquam a propria causa, dependet ». Quoad sententiam, vero, specialiter dicitur: « Ex probationibus partim validis, partim nullis, sententiae nullitas sequi potest vel minus, prouti probationes nullae eam determinaverint vel non » (Roberti, De Processibus, Romae, 1941, Vol. I, p. 673, 681).

b) *Jurisprudentia* N. S. O. refert utique nonnullos casus nullitatis derivatae aliquarum sententiarum ob defectum interventus Defensoris Vinculi in processu, concurrentem tamen cum aliis eiusdem causae vel sententiae gravissimis mendis.

Ita, ex. gr., citatum *Decretum S. R. R., coram Cajazzo* diei 5 aprilis anni 1949 animadvertit: « constat partium et testium excussiones evenisse neque citato, neque praesente Vinculi Defensore »; sed paulo ante adnotaverat: « unus Praeses totum processum construxit, absque officialibus necessariis, praesertim notario et Vinculi Defensore » (apud Torre, o. c., p. 374-375).

Decisio Rotalis coram Wynen diei 12 novembris anni 1949 (S. R. R. Dec., Vol. XLI - 1949 - p. 509, n° 13) docet: « invalida evasit quoque sententia, quae ex illis actibus (invalidis) omnino dependet »; sed, quando inquiritur cuiusnam gradus fuerit deficiens interventus Defensoris Vinculi, apparet: « Tribunal primae instantiae non curasse constitutionem Defensoris Vinculi, talem

in nullo actu instructionis causae adfuisse, praeterquam die decisionis causae ».

Alia *Rotalis Sententia coram Mattioli*, diei 26 februarii anni 1954 (apud Torre, op. cit., p. 368-373) nullitatem sententiae recognoscit etiam ob nullitatem actorum, productam tamen, non a defectu citationis Defensoris Vinculi, sed ex eo quod « contradicendi facultate Defensor uti non potuit », cum quaedam elementa processus « subtracta fuerint cognitioni Defensoris Vinculi ».

Enucleando ideo relatam jurisprudentiam, videtur Judices sanctione nullitatis inussisse sententias illas, quae pronuntiatae erant ausu temerario, quando functio Tutoris sacri vinculi fuerat aut impedita, aut nec quidem constituta.

c) Attento principio: « in dubio standum est pro validitate actus », *practice videtur dicendum*:

— potius quam deficiens citatio et praesentia Defensoris Vinculi ad hunc vel illum actum, conspiciendum est, an in causa sufficienter exerceri potuerit functio tutoria sacri vinculi, praesertim in facultate arguendi, contradicendi et proponendi, in qua proprie est substantia processus;

— si tota causae instructio constet depositionibus, ad quas recipiendas Defensor Vinculi nec vocatus nec praesens fuerit, ad derivatam nullitatem sententiae per se est concludendum; contrarium dicendum esset, si causa praevalenter documentis regeretur, quae tandem aliquando, tempore tamen utili ante sententiam, ad cognitionem Defensoris Vinculi pervenerint.

— si ad acta intructionis Defensor Vinculi fuerit partim vocatus, partim neglectus, difficile erit nullitatem sententiae arguere.

Sane, cum non vigeat *formalismus juridicus*, sed *libera dijudicatio probationum*, fere impossibile erit quandoque probare quod judici certitudo moralis obvenerit ex actu hoc nullo, non vero ex actu illo valido; idque eo vel magis quod judex « nullibi tenetur omnia et singula testimonia in sententia ad trutinam subiicere » (S.R.R., decr. c. Brennan, 29 novembris 1950). Insuper frequenter certitudo moralis non resultat nisi ex complexu indiciorum et demonstrationum.

5. *Quoad testes auditos juxta can. 1730, interventus Defensoris Vinculi non urgetur, saltem sub sanctione nullitatis.*

Agitur de testibus illis, qui audiuntur « ad futuram rei memoriam », ne probatio deperdatur, antequam litis contestatio accurate determinet obiectum litis, et ipse Vinculi Defensor citatus sit ad officium suum praestandum.

Quocirca, quamvis expediat ut Defensor Vinculi identidem vocetur si praevideatur recipienda testimonia inservitura esse ad futuram causam nullitatis, tamen necessitas huius advocationis sustineri non potest, cum lis adhuc non pendeat, nec relatio processualis instaurata sit.

6. *Quaenam jus vigens tribuat remedia adversus sententiam, quae dependeat ab actis nullis.*

A) Respondet citata decisio Rotalis coram Parrillo (S.R.R. Dec., Vol. XXV - 1933 -, p. 421): « Si... super actis sic nullis Judex sententiam pronuntiet, haec *nullitatis querela impetiri nequit,* nisi uno ex capitibus ab ipso jure taxative designatis per vitium insanabile, vel sanabile, quo deficiente sententia declarari nequit nulla, sed ad summum rescissioni potest esse obnoxia ope extraordinarii remedii restitutionis in integrum ob juris praescriptum evidenter neglectum vel forte violatum, juxta can. 1905, § 2, n° 4 ».

Sane defectus interventus Defensoris Vinculi in causae instructione non recensetur neque in can. 1892, neque in can. 1894, qui indicem tradunt casuum nullitatis sententiae.

Haec quaestio directe pertractatur in *decisione Rotali coram Wynen* diei 12 novembris anni 1949 (S.R.R. Dec., Vol. XLI - 1949 -, p. 507), quae, in casu Defensoris Vinculi qui numquam citatus fuit et numquam adfuit in instructione, recognovit quidem sententiae nullitatem, sed denegavit remedium querelae nullitatis. Idem jam antea statutum fuerat in S. R. R. Dec., coram Wynen, Vol. XXXVII - 1945 -, p. 199.

Reapse, cum ex indagatione peracta in schematibus praeparatoriis libri IV Codicis Juris Canonici (cfr. S R. R., coram Pinna, 28 novembris 1957; apud: « Monitor Ecclesiasticus », 1959, p. 202) appareat Codificatores consulto voluisse capita nullitatis sententiae omnino restringere, et praecise, inter alia plura, etiam caput « defectus promotoris fiscalis » resecare, contraria opinio difficulter videtur sustineri posse.

B) Sane, etiamsi quis admittere velit querelam nullitatis, ultra casus de quibus in can. 1892 et 1894, proponi quoque posse quando sententia appareat nulla *ex ipso jure naturae* (cfr. S.R.R. Dec., Vol. XXII - 1930 -, p. 120, *coram Mannucci;* S.R.R., 28 novembris 1957, nuper citata, *coram Pinna - Contra tamen*: S.R.R. Dec., Vol. XLI, - 1949 -, p. 475, *coram Staffa,* quae contrariam doctrinam declarat « intrinsece et extrinsece probabilem »), animadvertendum esset defectum Defensoris Vinculi non constituere vitium substan-

tiale, sed pertinere ad nullitatis juris positivi (cfr. Roberti, De processibus, Ed. I, Vol. II, p. 230).

In hac tamen doctrinae et jurisprudentiae incertitudine, difficulter partes et Defensor Vinculi privari possunt *jure proponendi* querelam nullitatis, etiam quoad nullitates quae vagantur extra can. 1892 et 1894. Judex tamen remedium opportunum applicabit, prouti casus feret.

C) *Conclusionis instar,* res enucleanda ita videtur:

a) defectus citationis et interventus Defensoris Vinculi in instructione causae haud semper secumfert nullitatem sententiae;

b) si quandoque idem defectus nullitatem sententiae videatur efficere, contra huiusmodi sententiam locus non est querelae nullitatis, *sed tantum appellationi, vel,* post duas conformes sententias, *novae causae propositioni,* ob circumstantias quae restitutionem in integrum in aliis causis admittunt.

Neque dicatur incongruum omnino esse proponere appellationem a sententia nulla. Nam, quando nullitas sententiae non respondet expressae legis dispositioni (can. 1892, 1894), sed derivari debet vel a jure naturae, vel a dependentia ab aliquo actu irrito, tunc amplius agi non potest de nullitate clara et notoria, quae justificat querelam nullitatis.

Jam in Jure Romano postulabatur declaratio nullitatis, si nullitas esset « aperta » et « expressa »; secus esset appellandum (1. 12 et 19, Dig., 49, 1).

VICARIATUS URBIS TRIBUNALI INSTANTIAE

Sententia diei 8 Ianuarii 1959.

E. Canzoneri, O. P., *Ponente*

(*ex metu reverentiali*)

Omissis.

In Jure. - 3. Tum in antiquo tum in novo, quo utimur, iure invalidum habetur matrimonium initum ob metum, etsi tantum reverentialem, qui fuerit aliquibus praeditus qualitatibus.

In multum « notabili » capite *Cum locum* (= c. 14, X, *de spons. et matr.*, IV, 1) edicitur: « Cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut, ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur et, ubi de ipso quaeritur, plena debet se-

curitate ille guadere cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequitur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire ». Exinde autem orta est inter DD.ac, iurisprudentia tum S. C. Concilii tum S.R. Rotae firmata, doctrina communis ac constans metum esse, saltem de iure ecclesiastico, impedimentum dirimens matrimonium, si tamen gravis sit ac ab extrinseco atque iniuste incussus « ad extorquendum consensum » (ut veteres docebant); quod, proprie respiciens metum communem, ad metum reverentialem « iure merito » (*S. R. Rotae Decisiones,* vol. III, 1911, dec. XII, *coram Many,* n. 2, p. 115) extensum est.

4. - Classica habetur definitio metus ab Ulpiano tradita: « Instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio » (D. 4, 2, 1). Est igitur metus quid subiectivi, animi (voluntatis) affectio seu apprehensio ob malum impendens. Quod constanter prae oculis habendum est, ut rectum feratur iudicium de metus gravitate, quae proinde nec tantum nec principaliter ex gravitate impendentis mali dimetienda est: « metus intensitas seu gradus haud semper metiri potest ex sola obiectiva consideratione mali imminentis quod timetur, sive difficultatis illud evitandi, sed ratio insuper habenda est conditionis personae quae malum timet » (*S. R. Rotae Decisiones,* vol. cit., dec. XIX, *coram Prior,* n. 3, p. 204); « cum metus... in se ipso inspectus essentialiter sit perturbatio mentis seu affectio animi subiectiva... intensitas metus, quo de facto ad agendum movetur agens determinatus, non tantum pendet a natura et intensitate violentiae externae in ipsum exercitae, seu a natura obiectiva mali ipsi imminentis, sed etiamvero (sicut omnis affectio subiectiva) ex personali conditione seu dispositione physica et psychologica ipsius agentis violentiam subeuntis, ex gradu receptivitatis seu sensibilitatis agentis metum patientis. Inde sequitur quod gravitas metus... non tantum, nec primarie quidem, dimetienda est ex gravitate et probabilitate obiectiva absoluta mali imminentis in se ipso considerati, sed etiamvero, et principaliter quidem, ex gravitate et probabilitate obiectiva relativa mali, considerati scilicet relate ad agentem determinatum de quo in concreto agitur » (G. Michaelis, *Princ. gener. de Personis in Ecclesia,* 2. ed., Parisiis 1955, p. 625).

Metum enim gravis est si malum impendens grave obiective est; gravis vero esse potest, in subiecto disposito, etiam cum malum leve obiective est: et hoc proprie quia metus est mentis trepidatio et quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Omnes homines mortem — quod grave malum est — metuunt: qui non timerent, temerarii essent; non omnes vero eodem modo se gererent

si quoddam leve malum ipsis impenderet; alium quidem metu affici, alium non affici, aut alium gravi alium levi affici metu, a dispositione cuiusque dependet, ratione habita etiam indolis metum inferentis.

Proinde iure merito S. C. S. O. (*Instr.* 1883) habet: « ... gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur... Quoad tertium ratio habenda erit primum sexus personae quae violentiam passa dicitur; facilius enim animus puellae commovetur, quam viri; deinde aetatis, educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et constans; qua ratione in familia vivere consueverit, utrum sub custodia et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus penderet, an aliqua libertate frueretur ut et propria sensa exponere, et iuxta propriam voluntatem operari potuerit » (*Instr.* 1883, nn. 36-37; GASPARRI, *Fontes*, IV, pp. 403-404).

5. - Metus reverentialis, qui dicitur, duobus, quae propria sunt ipsius, a communi differre dignoscitur: primo quidem, quia metus reverentialis habitudinem quamdam necessario subaudit qua metum patiens subiicitur metum incutienti, ut est e. g. habitudo inter filium et parentes, quibus obsequium una cum reverentia et oboedientia ex naturali iure debetur a filio; secundo autem, quia in reverentiali metu malum inferiori impendens proprie est superioris indignatio, si inferior non obtemperat.

Recte ergo metus reverentialis definitur: « futuri mali existimatio, quod ab his metuimus in quorum potestate sumus » (J. D'ANNIBALE, *Summula theol. mor.*, 3 edit. (Romae s. d.) Pars I, p. 127, *nota* 16).

6. - Metum reverentialem levem praesumi intelligendum est cum superioris indignatio ut cito transiens ab inferiore praevidetur. Si enim diuturna rationabiliter praevidetur, ipsum malum grave esse et eius metum matrimonium irritare probati docet AA., quorum Pontium illum sufficiat referre: « Metus est impendentis mali opinio, et cum aliquis operatur ex metu, revera eligit aliquid quod minus malum iudicat, ut evitat id quod ipsius iudicio maius est. Unde qui operatur ex metu reverentiali, plane agit aliquid, ut evitet aliud maius malum, quod sequi existimat ex eo, quod non impleat voluntatem patris, vel superioris. Hoc autem malum quod vitare contendit, non est peccatum aliquod, quod fit non obediendo et implendo patris voluntatem, saepe enim in eo nullum peccatum committitur. Est ergo patris ira, et indignatio, quam evitare con-

tendit. Indignationis autem nomine intelligitur torvus aspectus, vultus infensus, exprobatio verbis durioribus. Haec autem si cito transeunt, et placidus statim vultus, et dulcia verba redeant, grave malum non est, ut fatentur omnes, qui reverentiae metum gravem putant. Si vero perseverent, etiam ipse Thomas Sanchez grave malum esse fatetur, et eius metum censeri iustum [i. e. sufficientem ad irritandum matrimonium]... quia indignatio aeque grave, imo gravius malum minis est... Qui enim metum reverentialem, seclusis aliis, gravem dicimus, non intelligimus de indignatione patris, quae cito transit... sed de indignatione diuturna, etiam semotis minis atque verberibus. Quam indignationem, licet in aliis hominibus, qui ad nos non attinent, parvi faciamus, attamen in patre et superiore molestissime ferimus, et gravissimum malum iudicant prudentissimi quique » (*De sacr. matr.* lib. IV, c. 5, n. 7; cfr. etiam: Lessius, *De iust. et iure*, lib. II, cap. 17, d. 6, n. 35; Sanchez, *De matr.*, lib. IV, disp. 6, n. 14; D'Annibale, *op. et loc. cit.*). Haec quidem ad naturam impendentis mali (indignationis), prout ab inferiore apprehenditur, attendendo.

7. - Caeterum metum reverentialem multipliciter posse, ut dicitur, qualificari, probati docent AA. et S. R. Rotae iurisprudentia, ut precibus vel suasionibus instantibus repetitis et importunis, iussu seu praecepto superioris etsi non importuno nec repetito, immo et rationabili suspicione indignationis diuturnae superioris: « Et Rota nonnumquam admisit, non modo sine actualibus minis, sed etiam sine virtualibus, quae continentur implicite in precibus urgentibus et vexantibus, posse ex solo imperio imperantis causari grave malum, si nimia sit distantia inter vim voluntatis imperantis et imbecillitatem voluntatis imperatae non valentis vel a limite contradicere. Cfr. Sanchez, *De Matr.*, IV, 16, n. 11-16; D'Annibale, *Summ., Proleg.*, n. 138, not. 16; *S. R. Rota, coram Parrillo, in una Parisien.*, 28 aprilis 1925, et in alia, coram eodem, 9 augusti 1927 » (*S. R. Rotae Decisiones*, vol. XXIV, dec. XLI, *coram Mannucci*, p. 394, n. 3); « Coscius (*De separat. thori*, lib. 3, cap. 4, n. 87): 'Matrimonium est nullum sive consensus deficiat propter minas et violentias, sive propter suspicionem tantum indignationis parentum'. Huius principii rationem affert Sacra Rota *coram Ludoviso*, dec. 374, n. 7: 'Iusta metus suspicio pro metu sufficit ex eo quod in matrimonio (animus) debet esse liber, non solum a compulsione, sed etiam a timore compulsionis' » (*S. R. Rotae Decisiones*, vol. IV, 1912, dec. XVIII, *coram Prior*, p. 217 n. 6; cfr. etiam ib. dec. XXII, *coram Lega*, p. 268, n. 6 citans tres causas S. C. C. et *Pignatelli*, IX, 130, 19, *Gonzalez* ad c. 15, X, IV, 1 *et*

Schalzgrueber, IV, p. I, tit. I, § 315): « Enimvero probabilis suspicio de metu incurrendo aequiparatur illato, ut, post multos, docet Barbosa, *Vota Decisiva*, lib. I, n. 27 ss.; *Collectanea Doctorum*, cap. *Cum locum*, 14, n. 12; utque pluries comprobavit S. R. Rota, tum vetus, tum nuper restituita » (*S. R. Rotae Decisiones*, vol. XVI, 1924, dec. II, *coram Jullien*, p. 11, n. 2; vol. XVII, 1925, dec XXIV, *coram Jullien*, p. 184, n. 2).

8 - Dubiis vero: a) utrum necessarium sit ut inferior protestetur; b) quid iuris si non protestatur, quia, superioris indolem perspectam habens, quem scit incassum non iubere (licet forte sub forma precum iuxta illud: « est orare ducum species honesta iubendi »), inutilem fore protestationem sibi est persuasum: respondetur ut in una *coram Massimi*, doctrinam Engelii referente ac probante: « Et Engel docet matrimonium contractum a filio, qui ob reverentiam parentis, cui contradicere non est ausus, invitus contraxit, invalidum esse habendum, si ex adiunctis colligi possit, filium revera fuisse invitum, et si modestia contradictio nihil iuvisset » (*Manuale parochorum*, p. III, c. 5, s. 57, n. 4) » (*S. R. Rotae Decisiones*, vol. XX, 1928, dec. XXX, *coram Massimi*, p. 274, n. 3; cfr. relata verba dec. *coram Mannucci*: 'non valentis a limite contradicere').

9. - Inferiorem invitum contraxisse necesse est tum quia coactio absque aversione saltem in matrimonium (non necessario, ergo, in personam compartis) ne intelligitur quidem, tum ut « quendam alicui morem gerere *simpliciter* » a « quendam *invitum* alicui morem gerere » distinguatur, quod postremum S. R. Rotae iurisprudentia idem habet ac « agere ex metu »: « sicut verba innuunt, istud 'morem genere' satis perdit de suo voluntario, si contrahens nuptias init invitus. Ille proinde qui invitus cedit v. g. desiderio parentum, postquam per longius tempus omnino restitit, nequit dici ita morem gerere, ut cum ea libera voluntate contrahat, quam Ecclesia postulat pro re tanti momenti, qualis est matrimonium. ' Morem gerere ' eo sensu, quod matrimonii validitati non noceat, potius intelligendum est de aliquo filio, qui certior factus de desiderio parentum, horum desiderio statim vel post brevem haesitationem accedit, idest eis simpliciter 'morem gerit' » (*S. R. Rotae Decisiones*, vol. XXIX, 1937, dec. LXI, *coram Wynen*, p. 603, n. 4).

10. - In reverentiali metu, tandem, iniustitiam intime connecti cum gravitate subtiliter desumit Pius Fedele ex Rotali iurispru-

dentia: « ...il *metus reverentialis* quando è ingiusto è anche *gravis* e viceversa. E questa è un'altra differenza del *metus reverentialis* rispetto al *metus simplex;* giacchè mentre in questo il carattere della gravità è affatto indipendente da quello dell'ingiustizia, in quello questi due caratteri sono tra loro connessi ed interdipendenti. Nella giurisprudenza rotale non è espressamente rilevata questa connessione ed interdipendenza. Ma implicitamente si riconosce, giacchè in quasi tutte le sentenze, in tema in *metus reverentialis,* si discute della gravità di questo *metus,* senza prendere in particolare considerazione la sua ingiustizia; il che vuol dire che si ammette provata la ingiustizia quando si sia dimostrato che il *metus reverentialis* fu *gravis,* o, come si dice, *qualificatus...* nel *metus reverentialis* la *gravitas* è tutt'una cosa con la *iniuria,* in quanto tutte le volte in cui il superiore abusa della sua autorità. pone in essere un *metus* che è ad un tempo *gravis* e *iniustus*: l'andare oltre i limiti dell'esercizio lecito della propria potestà, da parte del superiore, integra ad un tempo gli estremi della *gravitas* e della *iniustitia* del *metus reverentialis* » (*Rassegna ragionata di giurisprudenza rotale in materia matrimonale. In tema di metus reverentialis,* in: *Archivio di dir. Eccl.,* a. II, 1940, pp. 120 et 127). Si inferior, vero, revera invitus est, superior limites suae potestatis transcendere dicendus est cum matrimonium imponat contrahendum, quocumque modo sive verbis vel suasionibus instantibus, sive iussu semel etiam notificato, etc.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

TRANSLATIO DOMICILII PATRIS FAMILIAE ABSENTIS

Tullius, officio vice-directoris fungens apud magnam societatem industrialem Mediolani, in hac civitate iam per multos annos habitat, in paroecia S. Felicis. In hac paroecia igitur habet suum domicilium proprium, Paula, eius uxor, autem et filii ibi habent domicilium legale (can. 93). Tullius a suis superioribus accipit mandatum se conferendi in Sydney, ut ibi dirigat erectionem fabricae succursalis. Huius operis exsecutio protrahenda est per circiter duos annos. Plene concordes coniuges decernunt, ut familia maneat in patria, ne educatio filiorum, praesertim illa scholaris, mutationibus damnum patiatur. Die 5 Martii Tullius proficiscitur. Die autem 30 Aprilis, Paula, decisionem, quam cum Tullio concorditer statuit, exsequens, habitationem definitivam familiae transfert in paroeciam S. Marcelli, in civitate Como, in dioecesi eiusdem nominis. Quaeritur: qui sit status iuridicus Tullii, Paulae et filiorum sub aspectu domicilii?

1. Raymundus, iuris canonici iuvenis doctor, cui casus est propositus, sequentem praebuit responsionem:

Solutio casus dependet a statu iuridico Tulii, a quo tamquam a patrefamilias omnes alii sub hoc aspectu dependent. Domicilium autem Tullii est domicilium proprium seu voluntarium. Hoc domicilium regitur duobus canonibus, scilicet can. 92 § 1 et can. 95. Domicilium enim quis habet in aliqua paroecia (dioecesi) eo quod illud acquisivit et non iterum amisit. Duae normae sunt: Can. 92 § 1: *Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia ... quae commoratio vel coniuncta est cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum.* Can. 95. *Domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi.*

2. Porro, a die sui discessus Tullius est absque domicilio et manet absque domicilio, usque ad diem quo revertens in Europam, incipit commorari in paroecia S. Marcelli, in Como. Etenim:

I. Tullius in civitate Sydney non acquirit domicilium, quia ibi commoratur animo manendi ad duos circiter annos, et non *perpetuo* si nihil inde avocet. Eius commoratio est ad tempus iam nunc ab initio determinatum. Attamen, nisi adiuncta specialia eum

impediant, ne in aliqua paroecia instituat habitationem stabilem pro tempore quo manere debet in civitate vel saltem pro maiori anni parte, ipse statim acquirit aliquod quasidomicilium, quo cessat esse vagus. Sed hoc nonnisi postquam reapse commorari coepit in hoc habitationis loco.

II. Sciens se non esse reversurum in Europam ante diem, quo Paula transferet domum coniugalem et familiam in paroeciam S. Marcelli in Como, Tullius discessu e paroecia S. Felicis discedit cum animo ibi non revertendi. Ergo, ad normam can. 95, amittit domicilium in hac paroecia, et cum non acquirat aliud domicilium (neque quasidomicilium) ab hoc momento est vagus, usque ad momentum quo, quasidomicilio acquisito in Sydney, hic incipit esse advena (can. 91). Ipse manet absque domicilio tam ante diem 30 aprilis quam etiam post hunc diem, ut nunc dicendum est.

III. Certissimum est quod Tullius commorans in Sydney, non acquirit domicilium in paroecia S. Marcelli in Como. Etenim, can. 92 § 1 tamquam factum iuridicum quo quis acquirit domicilium statuit factum compositum duobus elementis, scilicet *commoratione* in loco et *animo* ibi perpetuo manendi si nihil inde avocet. Hoc elementum solum, hic animus solus non sufficit. Porro, nihil tam evidens est quam quod in casu Tullii deest *commoratio*, et proinde, etiamsi habeatur animus habitandi perpetuo, iste animus non est coniunctus commorationi.

IV. Quamdiu Tullius est absque domicilio, etiam Paula et filii minores carent domicilio. Ipsi enim nequeunt habere domicilium *proprium*. Sed post institutam habitationem in paroecia S. Marcelli in Como, ibi statim acquirunt *quasidomicilium*. Ibi enim habent commorationem et quidem coniunctam cum animo manendi perpetuo si nihil inde avocet. In hoc animo manendi perpetuo virtualiter habent animum manendi saltem per maiorem anni partem, si nihil inde avocet. Et proinde tali commoratione, quae ex incapacitate personae habendi proprium domicilium non causat domicilium, acquirunt quasidomicilium [1]. Animadvertendum tamen est quod hoc tantum valet de filiis *infantia egressis*. Infantes enim, ut patet ex can. 93 § 2, ne quasidomicilium proprium quidem habere possunt [2].

---

[1] L. Bender, *Normae generales de personis*, n. 108.

[2] Si infantes habeant patrem carentem domicilio, ipsi proprie sunt vagi. Nam quasidomicilium legale seu participatum in Codice non datur, uti contra

3. Ratiocinatio Raymundi, procul dubio acuta et stringens, ducit, praesertim circa ipsum Tullium, sed aliqualiter etiam circa alios, ad consequentias, quae videntur esse a systemate iuris et voluntate Legislatoris valde aliena. Bene notandum tamen est, quod agitur quidem de aliquo casu aliqualiter exceptionali; attamen, non ita exceptionali, ut non certa frequentia occurrit in vita ordinaria.

Etenim, non pauci sunt homines, praesertim nautae in sensu lato huius verbi [3], qui continuo periodice per longioris temporis tractum, immo per annum vel plures annos, abesse coguntur a domo coniugali. Quod autem aliqua familia domum habitationis mutat, illam transferens ad aliam paroeciam, praecipue intra ambitum eiusdem civitatis, hodie frequentissime contingit, maxime in magnis civitatibus, in quibus homines non solent possidere domum propriam, sed habitant in domibus locatis. Casus autem similis et sat frequens habetur quoad personas iuvenes, transeunter commorantes extra domicilium patris, quae etiam post adeptam aetatem maiorem non constituerunt vitam et habitationem definitivam [4]. Huiusmodi personae a tempore quo factae sunt maiores solent retinere domicilium patris tamquam suum. Sane, non amplius vi legis (can. 93), quia cessaverunt esse minores, sed libera voluntate saepe implicita, qua domicilium patris e domicilio legali fit domicilium ipsis proprium. Et hoc quia domum paternam semper adhuc considerant (et praectice cum ea agunt) tamquam domum *propriam,* ad quam, quin interveniat alia causa, redituri sunt, quoties alia causa (servitium militare, studium, famulatus) eos non retineat in loco, ubi nunc degunt ob causam provisoriam et temporalem. Si admittatur interpretatio a Raymundo facta, etiam huiusmodi personae amittunt domicilium in loco ubi parentes habitant, quoties pater domicilium suum tranferat ad aliam paroeciam.

Michiels et alios probavi. O. c. n. 169-171. Cum autem in omnibus dependent ab aliis, et nihil ipsi in iure faciunt quod relationem habet cum domicilio vel quasidomicilio, hoc ius non causat incommoda.

[3] In hoc sensu intellectum, hoc verbum designat omnes, qui in navibus commorantur ob exercitium alicuius officii; ergo etiam coqui, viri personas in navi itinerantes inservientes, etc.

[4] E. g. celebratione matrimonii; ingressu in religionem per professionem, constitutione alicuius negotii cum propria habitatione adnexa. Si autem non ponant huiusmodi actus iuridice vel natura determinatos, sed vivant extra domum parentum, saepe non facile est indicare cum exactitudine momentum quo amittunt domicilium patris.

4. Certo, non licet nobis ob huiusmodi rationem interpretatione nostra legibus alium tribuere sensum, quam revera habent. Non possumus sufficienter repetere monitum: ad nos interpretes *privatos* non spectat condere ius praeter textum legis, etsi hoc fiat in forma et sub praetextu interpretationis. Ad hoc enim requiritur potestas legislativa, qua exclusive gaudet Legislator et ii, quibus Legislator dedit potestatem authentice interpretandi canones et leges, et etiam ipsi inter limites mandati recepti [5]. Interpretes privati seu doctrinales non pertinent ad has personas.

Si autem aliqua interpretatio ducat ad conclusiones valde difficile acceptabiles, merito movemus dubium, num haec interpretatio sit recte facta; nonne forsitan detur alia interpretatio et quidem recta, etiam nitens textui legis, in suis adiunctis et praecipue in suo contextu considerato.

ALIA INTERPRETATIO.

5. Verum est quod Legislator noluit quoad *omnia* elementa conservare conceptum iuridicum domicilii, quod habebatur in Iure Romano. Attamen, quoad substantiam non deflectere voluit a conceptu romano; imo, in certo sensu ne potuit quidem. Domicilium enim, etsi sit institutum iuris *positivi*, quoad elementa principalia est aliquod *naturale*. Nemo sanae mentis admittit, quod Legislator posset arbitrarie statuere: domicilium quis habet in paroecia, ubi audire solet Missam, aut in paroecia in qua est baptizatus vel confirmatus vel recepit ordinationem sacerdotalem, aut in paroecia in qua sita est banca, ubi deponit suas pecunias. Quilibet homo sive iurisperitus sive scientiae iuris perfecte ignarus hoc audiens clamabit: sed his elementis non determinatur domicilium! Responsio: agitur de instituto iuris positivi; ergo Legislator potest domicilium eiusque causam determinare prout ipsi placet, cuilibet apparebit ridicula.

6. Quaedam elementa domicilii sunt a natura determinata. Sic, essentia domicilii est *locus stabilis habitationis*. Locus potest esse civitas, paroecia, dioecesis etc. Hoc dependet ab institutionibus humanis et arbitrariis. Sed determinatione facta, domicilium

---

[5] Legislator potest e. g. alicui viro vel alicui collegio (commissioni) concedere potestatem dandi interpretationes authenticas, quae declarant sensum legis in se certae et legis in se dubiae, excludens autem potestatem dandi interpretationes restrictivas vel extensivas, quin prius ad ipsum Legislatorem recurrant.

est: civitas (paroecia, dioecesis) *stabilis habitationis*. Idem conceptus aliis verbis designari potest: « centrum vitae quotidianae »: « locus ubi quis commoratur, nisi causa specialis abesse cogatur, et ubi redit, si causa ob quam ibi non commoratur actu, cessaverit ». Domicilium igitur est locus, ubi causa quaedam definitiva et de se perpetua eum retinet aut redire facit.

7. Canones qui ex professo de domicilio agunt, nullam praebent definitionem vel circumscriptionem domicilii. In hoc ius novum non differt a iure veteri seu antecodiciali. Hi canones (pro domicilio sunt can. 92 § 1 et 95) non tantum omittunt definitionem, sed nec formaliter statuunt in quo loco aliquis *habeat* domicilium; in quo loco aliquis *sit* incola. Sane, hi canones hoc faciunt *aliquo modo*, nempe per modum consequentiae. Sed formaliter can. 92 § 1 statuit, quo modo aliquis *acquirat* domicilium et can. 95 quo modo aliquis *amittat* domicilium quod habet. Si velimus adamussim determinare materiam iuridicam istorum canonum non recte dicimus: materia est *domicilium* vel *possessio domicilii*, sed debemus dicere: materia can. 92 § 1 est *acquisitio* domicilii et materia can. 95 est *amissio* domicilii.

In Codice non datur definitio domicilii. Eius cognitio *supponitur*, sicut iam fiebat in textibus iuris veteris. Definitio igitur seu conceptus domicilii, qui in Codice admittitur est ille, qui, etsi non in textibus, tamen in doctrina iuridica habetur iam ab antiquo tempore.

Hunc conceptum perfecte convenire cum idea naturali domicilii patet ex dictis auctorum, tam ante quam post Codicis promulgationem scribentium. E. g. D'Annibale: « domicilium nostris et canonistis est *locus perpetuae habitationis* »[6]. Haec definitio applicatur et proinde approbatur in decisione rotali anni 1916 coram Mori. Ibidem etiam dicitur: « domicilium eo loco quis habere dicitur, ubi larem perpetuum rerumque et fortunarum suarum summam constituit »[7]. In alia decisione rotali (1912) legimus: Quando aliquis filius minor acquisivit domicilium parentum, illud postea non amittit, nisi quando omnino constat illum huic domicilio definitive renuntiasse, v. g. acquirendo alibi aliud domicilium. Quod principium est inconcussum. Status enim vagus est extraordinarius, odiosus et minime praesumendus. Unde legitur in Iure Romano: *difficile est sine domicilio esse quemquam*[8].

---

[6] Theol Mor. I, 483.
[7] A.A.S., 1916, p. 369.
[8] A.A.S., 1912, p. 277, coram Many.

8. Admissa hac doctrina circa naturam et essentiam domicilii, praeprimis sequitur, quod non recte interpretatur canones ille canonista, qui rigide insistens in verbis can. 95 docet quod translatio domicilii, praesertim ab una civitate ad aliam, secumfert, ut per periodum intermediam quis sit vagus seu absque domicilio. Hoc non est ius quod vi cann. 92 et 95 viget. E. g. si Titius hucusque domicilium habens Romae, in paroecia S. Roberti, cum suis habitationem transferat Bononiam, ipse et uxor et filii, durante itinere, sive hoc faciant uno tractu sive occasione utentes per aliquos dies sistant apud parentes Florentiae visitationis causa, non sunt vagi. Hic videtur applicari idem principium, quo nititur celebris assertio iurisconsulti romani, etiam in iure canonico admissa: [9] « ea quae desponsata est, ante contractas nuptias non mutat domicilium ». Idem principium est fundamentum alius axiomatis, in hac materia vigentis, scilicet: « difficile est absque domicilio esse quemquam ». Et idem principium cogit ad admittendam etiam hanc regulam: « qui discedit eo fine, ut domicilium acquirat in alio loco, ante acquisitum domicilium novum non amittit domicilium praecedens ». A. v. animus non revertendi, de quo agit can. 95, non habetur vere et efficaciter ante acquisitionem novi domicilii. Est hic actus, qui animum reddit definitivum. Si hoc non admittatur, sustineri nequiret, quod tamen generaliter admittitur, scilicet quod esse absque domicilio est casus rarus et difficilis.

9. Ex hoc apparet quod non licet nimis rigide ad litteram applicare canones 92 et 95, quoties agatur de casu extraordinario, sicut fecit Raymundus (supra n. 2. II). Pro nostro casu ex doctrina modo exposita sequitur, quod Tullius, qui, postquam cum uxore iam statuit translationem habitationis ad paroeciam S. Marcelli in Como, discedit a paroecia S. Felicis Mediolani, ibi relinquens habitationem, uxorem et filios tamquam in propria domo habitationis, non amittit domicilium in paroecia S. Felicis, sed id retinet usque ad diem quo familia, ipso absente et commorante in Sydney, definitivam habitationem constituit in paroecia S. Marcelli in Como. Etiam hic utimur hac ratiocinatione: ante veram et effectivam translationem habitationis propriae, persona absens non habet illum animum non revertendi, de quo loquitur can. 95, quia hic animus dependet a facto seu translatione habitationis, sicut mulieris desponsatae animus non revertendi et animus perpetuo seu

[9] A.A.S., 1912, p. 282.

definitive manendi in loco novae habitationis coniugalis dependet a matrimonio *celebrato*.

Hac conclusione casus Tullii solutus est *quoad amissionem* domicilii. Suo discessu Tullius non amittit domicilium mediolanense, et proinde saltem usque ad diem quo uxor domum habitationis tranfert in Como, Tullius domicilium mediolanense retinet. Inter suum discessum a Mediolano et quasidomicilium (fortasse) acquisitum in Sydney Tullius non est vagus. Utrum in Sydney statim vel post aliquod tempus acquirat quasidomicilium, dependet ab adiunctis (de quibus agit can. 92 § 2).

10. Altera pars casus propositi respicit statum Tulii post habitationis translationem. Quaestio est, utrum a die definitivae translationis seu a die quo familia incipit habitare in paroecia S. Marcelli in Como, Tullius paterfamilias *absens* acquirat ibi domicilium. Responsione determinatur simul status ipsius Tullii et status uxoris et filiorum, utpote qui necessario habent domicilium Tullii. Hoc autem legale domicilium habere nequeunt, si ipse Tullius careat domicilio.

Ni fallor, etiam hic debemus praemittere conceptum domicilii, quem sicut ius vetus etiam Codex non ponit sed supponit. Istum conceptum iam dedimus supra, n. 7 [10]. Applicans hunc conceptum domicilii in casu Tulii, sequitur eum a momento translationis familiae ad paroeciam S. Marcelli acquirere domicilum proprium in hac paroecia; consequenter Paula, eius uxor, et filii ibi acquirunt domicilium legale (can. 93).

Nam in dubium vocari nequit, quod Tullius ab hoc momento in paroecia S. Marcelli habet « locum perpetuae habitationis ». Praesentiam physicam ad hoc non requiri pacificum est. Item certum est, quod ab hoc momento domus, ubi nunc uxor et filii habitant, est « locus ubi Tullius larem perpetuum rerumque et fortunarum suarum summam constituit ». Hoc fecit, etsi absens, *per suam uxorem*.

---

[10] Cavendum est ne confundamus duas res distinctas, scilicet domicilium et causa domicilii seu factum (factorum complexum) quo acquiritur domicilium. Hanc confusionem invenimus i. a. apud Michiels (De personis. Cap. II. Sectio II). Scribit: « Clare constat..... duo esse elementa domicilii constitutiva: elementum materiale seu factum commorationis et elementum formale seu animus ». Sed haec duo nullatenus sunt elementa constitutiva *domicilii*. Sunt elementa facti compositi, quod est *causa* domicilii seu quo acquiritur domicilium. Domicilium est aliquid aliud quam causa domicilii. Est aliqua relatio ad paroeciam (dioecesim) determinatam.

11. Ad unam tamen obiectionem, quae contra hanc conclusionem quasi sponte surgit, debemus respondere. Tullius videtur non perfecisse ea, quae in can. 92 § 1 statuuntur tamquam actus, quibus quis acquirit domicilium; deest illud factum iuridicum, constans duobus elementis, cui lex adnectit acquisitionem domicilii tamquam effectum iuridicum. Ergo Tullius non acquisivit domicilium in paroecia S. Marcelli (vide supra, n. 2, III).

12.Duae dantur responsiones:

I. Can. 92 non videtur ita esse interpretandus, ut pro omnibus casibus, etiam extraordinariis, requiratur personalis commoratio *materialis*. Can. 92 videtur referre ius iam ab antiquissimo tempore vigens. Simul describit modos, quibus quis in casibus communiter contingentibus acquirit domicilium, quod tamquam institutum iuridicum supponit existere et esse notum. Iam ante Codicem viguit idem ius circa acquisitionem domicilii. In decisione rotali quae agit de matrimonio celebrato ante Codicem et proinde iudicat secundum ius vetus, dicitur: « elementum materiale (actualis commoratio) sine formali (animo manendi) nihil omnino operatur; *formali e contra sine materiali aliquando domicilium recipiat* [11]. Videtur sanae interpretationis methodo consentaneum canonem, qui idem ius statuit, interpretari in sensu quem hoc ius iam habebat in iure veteri (can. 6 n. 2) [12]. Casus Tullii videtur esse casus in quo elementum formale absque elemento materiali operatur acquisitionem domicilii.

II. Datur alia responsio. Non videtur plene verum, quod Tullius non perfecit ea, quae in can. 92 § 1 designantur tamquam causa domicilii. Pacificum est, quod commoratio protracta ad maiorem anni partem componitur cum *absentia physica*. Secus fere numquam aliquis haberet commorationem per hoc tempus protractam. Quis per sex menses numquam relinquit territorium

---

[11] *Elementum formale* sunt verba quibus designari solet elementum mentale seu animum, cui tunc commoratio opponitur tamquam elementum *materiale*. Terminologia minus exacta, ut demonstravimus in libro nostro *Normae generales de personis*, n. 85 not a14.

[12] Mutatio fundamentalis iuris de forma matrimonii, decreto *Ne temere* inducta effecit, ut validitas matrimonii non amplius dependeat de domicilio vel quasidomicilio. Et quia causae, quarum diremptio dependet de domicilio vel quasidomicilio et quae coram tribunalibus aguntur, sunt praectice nonnisi causae de validitate matrimonii, in decisionibus S. R. Rotae nulla invenitur interpretatio canonum de domicilio vel quasidomicilio agentium.

suae paroeciae? Commoratio tunc est moraliter protracta et quidem ratione *retentionis habitationis* (non brevitate absentiae physicae, uti explicavimus alibi)[13]. Porro, si aliquis physice absens potest moraliter commorari in aliquo loco, ipse potest etiam physice absens incipere moraliter commorari in aliquo loco. Hoc videtur facere paterfamilias, qui in aliquo loco reapse et physice constituit habitationem suam et familiae suae. Ipse hoc non facit *mero animo,* sed etiam *factis physicis;* physica scilicet translatione et commoratione suae familiae in alio loco, ipso physice absente propter causam, quae ipsum alibi retinet et qua cessante, quin alia causa interveniat necesse sit, iterum se iunget familiae suae in hoc loco suae habitationis. Se iterum iungens familiae suae, hanc domum non *facit* suam habitationem, sed redit ad domum, quam iam a multo tempore *fecit* habitationem suam. Habitatio enim, *nullo elemento mutato,* est translata ab uno ad alium locum.

Merito respondere possumus distinguendo: Tullius non perfecit ea, quae in can. 92 praescribuntur, quia deest commoratio, distinguo: deest commoratio *actualis* et *per proprium actum,* concedo; deest commoratio *virtualis* et *per familiam,* cuius ipse est caput et ad quam pertinet, nego.

Conclusio.

13. Tullius numquam fuit absque domicilio. Discedens et in Sydney commorans prius habebat domicilium retentum in paroecia S. Felicis, Mediolani; deinde quin detur spatium temporis intermedium acquisivit domicilium in paroecia S. Marcelli in Como. Hoc acquisto, amisit domicilium medionalense.

Similiter dicendum est de nauta, de quo est sermo supra, n. 3. Et etiam de filio vel filia maioris aetatis, quae retinuit domicilium patris, quod prius habebat tamquam domicilium legale et nunc retinet, ut proprium seu voluntarium (c. 92), quoties pater habitationem transferat ad alium locum seu aliam paroeciam. Si eorum animus non mutetur ideoque omnia manent sicut hucusque erant praeter locum habitationis, huiusmodi filii, etsi absentes a loco, ibi acquirunt domicilium.

Dr. L. Bender *O. P.*

---

[13] L. Bender, *Normae generales de Personis.* Brevitas vel longitudo absentiae physicae nequit esse elementum, a quo dependet continuatio vel interruptio praesentiae moralis. Duratio absentiae physicae est res pertinens ad ordinem *physicum.* Requiritur elementum *ordinis moralis,* scilicet intentio (voluntas) retinendi habitationem.

NONNULLAE ADNOTATIONES CIRCA INSTITUTA SAECULARIA SACERDOTALIA

Providus in Ecclesia nuper surrexit juridicus coetus fidelium, qui sub titulo nunc cognoscitur INSTITUTORUM SAECULARIUM. Ad apostolatum *ubique* exercendum haec nova canonica forma perfectionis evangelicae necessaria dicenda est et in Ecclesia, divino afflante Spiritu, introducitur.

Ab anno 1947, in quo publici juris facta est Apostolica Constitutio *Provida Mater Ecclesia* seu *Magna Charta* Institutorum Saecularium, usque ad annum 1960 petitiones 218 recensentur ad Instituta Saecularia formaliter erigenda; 62 hucusque approbata sunt quorum 14 juris pontificii, caetera juris dioecesani existunt. Nonnulla sub provisoria forma Associationis Perfectionis sese ad formalem approbationem praeparant.

Sicut quaelibet alia legislatio, hodierna legislatio circa Instituta Saecularia jam a vita superatur. Etiam sub perfecta etenim legislatione, vita manet in motu et, semper ipsam post se trahens legislationem, evolvit. « Le droit, aujourd'hui, est à retardement; il arrive le plus souvent quand est tombée la ferveur de la vie réelle. Aussi n'est-il pas étonnant qu'il apparaisse bizarre, presque démodé, même dans ce qu'il a de positif ». (B. HAERING, C. SS. R., in *Suppl. Vie Spir.*, no. 53, p. 120). Hoc enim, etsi in relata expressione aliquam exaggerationem sapiat, jam in antiquo Jure Romano verificabatur. Nostris diebus, aliud novimus exemplum in Codice Juris Canonici, qui proxime reformandus erit nam non amplius realitati vitae semper respondet. Idem dicendum valet pro recenti legislatione circa Instituta Saecularia. Experientia duce horum ultimorum, multa stabiliter acquisita remanent dum alia modificationes aut quamdam evolutionem conclamant.

Etsi laicorum Instituta maximam efforment partem Institutorum Saecularium, de aliis loqui intendimus, de his scilicet, quae vel clericalia sunt vel saltem mixta eo quod certum inter sodales numerum clericorum recipiunt.

Optimam in Eclesia formam haec Instituta praebent sacerdotibus vel clericis sanctitatem personalem et efficaciorem apostolatum obtinendi.

Plurimis jam a saeculis, in dioecesibus regionum praesertim italicarum, sacerdotum existunt consociationes, quae in sacerdotali sanctitate acquirenda et in apostolatu melius exercendo clericos juvant. Variae sint exemplo formae Oblatorum dioecesanorum.

In hodierna legislatione formaliter praevidentur, laudantur et commendantur sacerdotes seu clericales associationes.

Summus Pontifex Pius XII enim, in Constitutione Apostolica « Provida Mater Ecclesia », de Institutis Saecularibus *sacerdotalibus* loquitur tanquam de ordinaria associatione in Ecclesia recepta. Articulus vero primus « Legis peculiaris » statuit: Societates, *clericales* vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis adquirendae atque apostolatum plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur, ut ab aliis fidelium communibus Associationibus (Pars Tertia, Lib. II, C. I. C.) apte distinguantur, Institutorum seu Institutorum saecularium proprio nomine veniunt, atque hujus Constitutionis Apostolicae normis subiiciuntur ». (*A.A.S.*, 1947, p. 120).

Quod idem Romanus Pontifex, in Motu Proprio *Primo feliciter*, amplius determinavit: « Societates, *clericorum* vel laicorum, perfectionem christianam in saeculo profitentes, quae elementa ac requisita in Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* praescripta certa plenaque ratione habere videantur, non debent neque possunt inter communes fidelium Associationes (cc. 684-725) arbitrio, quovis praetextu, relinqui, sed ad propriam Institutorum Saecularium naturam et formam, quae ipsorum characteri ac necessitatibus apprime respondet, reducendae atque elevendae necessario sunt ». (*A.A.S.*, 1948, p. 284).

Delegatis Conventui generali ex universis religiosis Ordinibus, Congregationibus ac Societatibus Institutisque Saecularibus in Urbe adunatis, idem aiebat Summus Pontifex, die octava mensis Decembris 1950: « Nulla profecto ratio officit, quominus clerici in Saecularia Instituta coalescant ut, ad evangelicae perfectionis statum, hujusmodi vitae delectu et genere, contendant... » *A.A.S.*, 1951, p. 29).

Dominus autem Noster Joannes Pp. XXIII, clericales vel sacerdotales consociationes semper laudavit atque peculiarem suam delectionem illis manifestavit. Ipse enim jam ab annis plurimis sodalis numeratur inter Oblatos a Sacro Corde Jesu in civitate Bergamen.

In Litteris Encyclicis « Sacerdotii nostri primordia » scribit Romanus Pontifex: « ... Quodsi ecclesiasticis viris, ut reapse hanc morum sanctitudinem adipisci valeant, non vi clericalis ipsius status consilia evangelica praecipiuntur, eis nihilominus, quemadmodum christifidelibus universis, eadem consilia patent veluti tutissimum iter ad optatam christianae perfectionis metam contingendam. Ceterum, quod Nobis magno solacio est, quam multi hodie sacerdotes, generosa virtute praediti, se id ipsum sentire

ostendunt, qui, etsi dioecesano clero adscripti, a piis consociationibus auctoritate Ecclesiae probatis opem et auxilium postulant, ut perfectionis viam facilius atque expeditius ingredi queant ». (*A.A.S.*, 1959, p. 550-551).

In Epistula vero ad Em.mum Cardinalem Fossati, occasione solemnitatum in honorem S. Joseph Cafasso indictarum, idem scribit Summus Pontifex Joannes XXIII, die 16 Decembris 1959: « Ex his igitur, quae ad recolenda hujusmodi commemoratio invitat et admovet, perquam propitia arripitur occasio, ut a Nobis ecclesiasticae consociationes, ductu auspicioque Antistitum, magis magisque floreant, vigeant et amplificentur: quod si felicibus auctibus contigerit, sacerdotum pietati et doctrinae id valde proderit, et Praesulibus praesto erunt magni pretii auxilia, quibus directo et illico uti possint ». (*A.A.S.*, 1960, p .82).

Sacra Congregatio Sancti Officii, in litteris circa sacerdotes « opifices » ad Episcopos gallicos destinatis, generalem approbationem, exprimebat: « Le Saint-Siège demande aux évêques de France d'envisager si le moment n'est pas maintenant venu d'ajouter à ces excellentes initiatives la création d'un ou de plusieurs Instituts séculiers composés de membres prêtres et de membres laïcs. Ces derniers pourront travailler dans les usines sans autre limite de temps que celle qu'exigent la vie spirituelle et leur santé: membres d'une institution d'Eglise, ils porteront un témoignage particulièrement qualifié.

Dans cette nouvelle forme de mission ouvrière les prêtres auront un rôle important et efficace. A leurs confrères laïcs, ils donneront une instruction religieuse et une formation spirituelle profondes et adaptées à leur état de vie et à leur condition ouvrière. Ils feront connaître toujours mieux la doctrine sociale de l'Eglise, en particulier sur les problèmes du travail. Ils les guideront dans leur action quotidienne auprès de leurs compagnons de travail, les conseilleront dans leurs problèmes et les soutiendront dans leurs difficultés ».

Sacra Congregatio de Religiosis, quae, ad normam documentorum pontificium, unica competens est in fundatione et regimine Institutorum Saecularium, praeter Instructionem *Cum Sanctissimus*, diei 19 Martii 1948 (cf.: *A.A.S.*, 1948, p. 293-297), varias edidit declarationes circa Instituta saecularia sacerdotalia vel circa sodales clericos in Institutis Saecularibus. Exemplo sit hoc responsum diei 27 Januarii 1950: « Institutum saeculare cleri dioecesi cujus membra propriae dioecesi incardinata sint et sub plena auctoritate Ordinarii diocesana remaneant, non solum possibile ad normam Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia* et

Motu Proprio *Primo Feliciter* sed laudandum et spiritui utriusque documenti apprime respondens.

Sane, littera atque spiritus legislationis propriae Institutorum Saecularium, et praesertim Motu Proprio *Primo Feliciter* in hoc adaequate convenit: Associatio simul ac de se bonum specimen dederit patiendum non est ut in forma communi Piae Associationis remaneat sed superius ascendendo debita praescriptaque forma approbationem expostulet Instituti Saecularis.

Sacra Congregatio de Religiosis haec Instituta non solum benignis oculis, sed ex corde totisque viribus promovere intendit ». (cf.: S. Canals, *Gli Istituti Secolari*, p. 102).

Utinam semper in dies multiplicentur talia Instituta, quae, ut ipse Summus Pontifex ait, fontes efficiuntur sanctitatis sacerdotalis et efficacioris apud animas ministerii.

Pauca tamen hucusque numerantur Instituta, quorum alia solos sacerdotes vel clericos, alia quosdam tantum inter caeteros sodales recipiunt. Ita jam approbata fuerunt et juris quidem pontificii: Societas sacerdotalis Sanctae Crucis et « Opus Dei », Societas S. Pauli, quae tres admittunt ramos clericalem scilicet, laicalemque sive masculinum sive femininum; Societas a S. Corde Jesu, in dioec. Parisién. et Societas Operariorum dioecesanorum quae solos accipiunt sacerdotes; Institutum Sacerdotum v. g. Prado, quod praesertim sacerdotes admittunt; alia Instituta nondum juris pontificii sed juris dioecesani adhuc sunt velut Servi Ecclesiae, Institutum Pii X quae et sacerdotes recipiunt, etc. etc.

Quilibet sit in Instituto sacerdotum numerus, quaestio maximi momenti pro illis singulis exsurgit de incorporatione vel dioecesi vel Instituto. Cum de sacerdotibus saecularibus agatur, qui sacerdotes saeculares remanent in Instituto Saeculari, opportunior videretur incardinatio diocesi.

Hoc enim admittitur sed et alia prospicitur solutio juxta quam clerici Instituto adscribuntur, propriam amittendo dioecesim. Valde enim utile erit in Instituto, praesertim juris pontificii, si quidam sacerdotes Instituto adscribuntur, qui sese totaliter regimini aut formationi dedicare valeant.

Praesertim ubi sodales dioecesi incardinati remanent, aliqua dubia et nonnullae *practicae* difficultates nata sunt circa sodalium relationes cum duobus legitimis auctoritatibus: cum Excellentissimo scilicet Ordinario loci et internis Instituti Moderatoribus. *Practicae* dicuntur difficultates nam, fere semper, non a principiis sed a personis oriuntur: principia sat clara enuntiantur; nonnulli tamen haec vel ignorant vel applicare non valent. Legem tum communem tum particularem simul ac mentem Sacrae Congregationis de Religiosis noscere valde utile, immo et necessarium est.

Notandum est praeprimis quod Summus Pontifex, Pius XII cum Instituta Saecularia etiam sacerdotalia in Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* condidit, vel alibi approbavit aut commendavit, omnes noverat relationes, quae sacerdotes saeculares tum proprio Ordinario tum proprio Superiori vinculant. Idem dicendum est de Sanctitate Sua Joanne XXIII, qui saepius tales sacerdotum consociationes laudavit.

Sacra Congregatio de Religiosis, de mandato et nomine ipsius Romani Pontificis, formaliter mentem Suam circa hanc quaestionem aperuit: « Regimen internum hujusmodi Institutorum saecularium apte componi possit cum auctoritate, quam Ordinarius in sacerdotibus sui cleri ad normam juris possidet?

Canonica oboedientia Ordinario proprio vi ordinationis praestita ex adscriptione hujusmodi Instituto nullo modo detrimentum patitur. Immo nihil prohibet quominus oboedientia canonica novo vinculo, quo sodales Instituto ligantur, confirmari valet.

Haec Ordinarii auctoritas intacta etiam in Institutis saecularibus juris pontificii certo remanebit. Si ex approbandis Constitutionibus aliqua videatur limitatio apponenda, talis indubie erit atque ita ordinabitur ut conveniens Ordinarii interventus admittatur seu praevia ipsius venia obtineatur.

In particulari quoad limitationem Ordinarii loci disponendi pro lubitu sacerdotum sui cleri, quae ex actu nominationis ad aliquod ex muneribus regiminis interni fere necessario obvenire posset, facilis inveniretur compositionis ratio si munera ipsa praeviae Ordinarii confirmationi supponerentur ». (Cf.: Canals, o. c., p. 104).

Ipsa autem Sacra Congregatio semper curat ut legitima et certa Ordinarii loci auctoritas adamussim servetur circa ea omnia, quae curam animarum in dioecesi spectant. Oboedientia, quae, ad normam Sacrorum Canonum, Ordinario debetur, etiam vi voti firmari posset. Accurate in Constitutionibus praevidetur talis Ordinarii auctoritas, quam sacerdos saecularis, Instituti saecularis sodalis constitutus, perfectius noscere et servare tenetur.

Ad modum exempli, licitum sit aliquos referre textus, qui jam enunciatum principium illustrant:

1. « ... ligantur ad oboediendum Superioribus in omnibus quae, salva semper oboedientia Ordinario debita, ad disciplinam internam, formationem vitamque spiritualem respiciunt ». (Opus Dei, Const. I, V, 79, 2; cf.: J.-M. Setien Alberro, « *Institutos seculares para el clero diocesano* », Vitoria, 1957, p. 133).

2. « L'entrée dans la Société, celle-ci n'étant pas un institut religieux, ne change pas la qualité de prêtres diocésains de ceux qui en deviennent membres.

Elle ne diminue rien à la perfaite dépendance de l'autorité de l'Evêque dont ils sont les prêtres et les fils. Leur vocation de... les portera seulement à une obéissance plus délicate et plus empressée aux désirs de ceux qui incarnent à leurs yeux l'Eglise et sa divine autorité.

La profession spéciale qu'ils font de tendre à la perfection ne leur donne pas à l'intérieur du diocèse une situation priviligée qui les distinguerait de leurs confrères...

Coopérateurs de l'Evêque, ils travaillent sous sa direction en union étroite avec leurs confrères. Ils seront toujours prêts à accepter tous les emplois, même les plus humbles et les plus difficiles. Ils ne s'attacheront pas humainement au poste qu'ils occupent, mais seront toujours disposés à le quitter dès que l'autorité en décidera...

Demeurant membres du clergé diocésain, les (membres)... entretiendront avec tous leurs confères les relations les plus fraternelles et, chaque fois que ce sera possible, ils s'efforceront de faire équipe avec eux... ».

3. « E' costituito nella diocesi di..... l'Istituto Secolare N. N. del quale fanno parte sacerdoti e laici i quali, attuando l'effettivo distacco dalle cose della terra mediante la pratica dei consigli evangelici, pongono la loro attività al diretto servizio degli Eccellentissimi Vescovi...

I Sacerdoti membri dell'Istituto restano incardinati nelle loro Diocesi e nulla li distingue esternamente dagli altri sacerdoti secolari. Conservano nei confronti dei loro Vescovi gli obblighi derivanti dalla incardinazione e dall'ordinazione. La loro particolare vocazione li spingerà ad una obbedienza più pronta e completa ».

4. « Les prêtres qui appartiennent à des communautés diocésaines sont sous la pleine juridiction de leurs évêques. Ils sont donc incardinés, appelés aux ordres et nommés comme les autres prêtres du diocèse. Sans doute, l'institut demande aux évêques de bien vouloir consulter le supérieur diocésain et son conseil avant de nommer un (membre) à un poste déterminé, mais l'évêque conserve son plein droit de nomination..... ».

Ex his omnibus quae hucusque relata sunt, clare apparet distinctio inter varia Instituta et etiam inter sodales uniuscujusque Instituti. Alii enim sodales dioecesi incardinati manent ac proinde nullam afferre debent singularitatem nisi forte accuratiorem zelum ad proprium munus in dioecesi sub auctoritate Ordinarii rite perficiendum; alii vero Instituto adscribuntur propriam amittendo dioecesim.

Ipsa Instituta erunt vel juris pontificii vel juris dioecesani;

admittitur etiam federatio vel confederatio (Motu Proprio *Primo Feliciter*, art. IV; cf. CANALS, o. c., p. 105). Quaelibet tamen sit forma ipsius Instituti, sacerdotes dioecesani incardinati sub auctoritate et vigiliantia Ordinarii sicut caeteri sacerdotes saeculares manent.

Instituta Saecularia sacerdotalia vel aliae sacerdotales consociationes veluti sunt Oblati dioecesani, maximi momenti et maximae sunt utilitatis in Ecclesia.

« Clerici et sacerdotes saeculares, qui per se ad statum perfectionis stricte sumptum non pertinent, in hujusmodi statum (Instituta Saecularia) ingrediuntur; hac ratione tractus strictioris unionis et collaborationis cum clero regulari seu religioso ipsis praebetur; strictiorem dependentiam ab Episcopo, et quidem sponte susceptam, consequuntur, qua bono animarum satius consulitur... » (AGATHANGELUS A LANGASCO, O.F.M. Cap., in « *Acta et Documenta Congressus generalis de statibus perfections* », vol. 2, p. 306).

Sacerdotes vero, qui sodales efficiuntur sacerdotalium consociationum et, praesertim, Institutorum Saecularium, quemdam « pontem » efformare valent seu mediatores erunt inter sacerdotes religiosos et sacerdotes saeculares maximum ita juvamen praestantes ut uterque clerus in unum semper melius coadunetur pro bono Ecclesiae et pro gloria Dei.

D. - M. HUOT, *s.m.m.*

DE RELIGIOSO IN VICARIUM GENERALEM DIOECESIS ELECTO

Titius religiosus in Vicarium Generalem dioecesis electus quaerit quae eius sit conditio iuridica durante munere quod ad observantiam votorum et Constitutionum attinet, simulque postulat utrum etiam religiosis competant in casu privilegia Protonotariorum Apostolicorum titularium sive quoad titulum v. *Monsignore,* sive quoad usum vestium praelatitiarum.

1. - Religiosus nequit, sine Sedis Apostolicae auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia promoveri, quae cum statu religioso componi non possint (c. 626 § 1). Inter ea certe adnumeranda est dignitas Vicarii Generalis, quae, etsi non personam sed officium exornet [1], ex se, incompossibilis est cum statu religioso, utpote quae spiritui subiectionis et humilitatis atque religiosae observantiae contraria. Quare, tantum ex indulto Apostolico, cuius tenori standum est, obtineri potest. Habetur nempe quaedam inhabilitas religiosorum ad hanc dignitatem, ad hoc officium adipiscendum.

Verum, si dioecesis alicui Religioni commissa fuerit, Vicarius Generalis potest esse eiusdem Religionis alumnus (c. 367 § 2). Tunc enim inhabilitas non subsistit, seu melius, iam a iure dispensata est. In casu, religiosus minime impeditur quominus intra claustra commoretur, quamvis Vicarium Generalem agat [2]. Immo, absolute loquendo, iste potest, ideoque id facere tenetur, principaliora saltem religiosae observantiae officia adimplere, nec eius iuridica conditio, adepta dignitate, substantialiter immutatur, praeter parvas exemptiones quae ex contingentiis requiri possunt.

Idem dic de religioso qui, ex indulto Apostolico, Vicarius Generalis renuntiatus sit in dioecesi suae Religioni non concredita, quique tamen residere possit in domo suae Religionis forte in loco exsistente. Idem dic de religioso in Vicarium Generalem nominato pro dioecesi quae Episcopo concreditur ex eiusdem Religione.

2. - Religiosus vero, qui, ratione muneris, extra Religionem legitime ob indultum Apostolicum vivit, ad sensum c. 627 § 1, qui analogice quidem eidem quoque adplicandus est [3], manet particeps

---

[1] Toso, *Commentaria Minora,* p. 216.

[2] Berutti, *Institutiones I. C.,* III. Taurini, 1936, n. 138.

[3] Conte a Coronata, *Institutiones I. C.,* I, Romae, 1939, p. 840, nota 7.

privilegiorum suae Religionis, votis ceterisque suae professionis obligationibus adstrictus, exceptis iis quas cum sua dignitate ipse prudenter iudicet componi non posse. Idem praescriptum adplicari debet Vicariis et Praefectis Apostolicis ex Audientia 2 dec. 1920.

Ait S. Thomas: « Sic ergo dicendum est quod si qua sunt in regularibus observantiis quae non impediant officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas et alia huiusmodi, ad haec remanet religiosus factus Episcopus obligatus, et per consequens ad portandum habitum suae Religionis, qui est huius obligationis signum. Si qua vero sunt in observantiis regularibus quae officio pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium et aliquae abstinentiae, vel vigiliae graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exsequendum pontificale officium, ad huiusmodi observanda non tenetur. In aliis autem potest dispensatione uti, secundum quod requirit necessitas personae vel officii, et conditio hominum cum quibus vivit, per modum quo etiam praelati religiosorum in talibus secum dispensant » [4].

Quae S. Thomas de religioso in Episcopum electo dicit, a fortiori religioso in Vicarium Generalem extra Religionem nominato adplicanda sunt. Siquidem, susceptio dignitatis religiosum a votis et a religiosis observantiis non absolvit [5].

3. - Speciatim quoad vota oboedientiae et paupertatis haec dicenda videntur.

Revera votum oboedientiae, durante munere et quoad ea quae a munere requirantur, non est, per se, vinculum iuridicum inter religiosum et Superiores in Religione; cum enim quis, per legitimam susceptionem muneris Vicarii Generalis, a potestate Superioris religiosi quodammodo subtrahitur, non amplius retinet in Religione praelatum cui oboediat, infra Romanum Pontificem. Romano igitur Pontifici immediate subiacet quatenus religiosus, nempe vi voti oboedientiae (c. 627 § 2). Ratio est quia huiusmodi religiosus non dispensatur a voto oboedientiae, sed tantum nequit Superiori religioso submitti quia ei subtrahitur et alium superiorem, cui vi voti oboedientiae subiaceat, non habet praeter Romanum Pontificem. Evidenter, in iis quae ad suum munus spectant, Praelato Ordinario suo subiacet, cuius vices gerit, quemque potestate ordinaria vicaria in toto dioecesis territorio adiuvat (c. 366 § 1).

Votum paupertatis manet sicuti antea in sua entitativa con-

---

[4] S. Thomas, IIa IIae, q. 185, art. 8.

[5] cfr. Benedictus XIII, Const. *Custodes*, 7 mart. 1726.

stitutione, licet in illius observantia a simplici religioso Vicarius Generalis differat et religioso extra claustra legitime viventi adsimiletur. Eidem igitur eae voti paupertatis mitigationes concedendae sunt quae, proportione servata, religiosis Episcopis vel Cardinalibus c. 628 concedit.

Regularis enim, pro suae conditionis exigentiis, adquirere, possidere, administrare bona eisque uti poterit nomine Ordinarii, cuius est Vicarius Generalis. Quae autem ei obveniunt non intuitu personae aut muneris, sed intuitu sui Ordinis, ipse debet secundum offerentium voluntatem expendere (c. 628, 3°). Huc pertinet decisio S. C. Concilii in *Neapolitana*, 7 dec. 1639: « Quae acquirit ante confirmationem (susceptionem officii) cedunt monasterio quoad dominium et *probabiliter* etiam post eam acquisita, v. gr. ex successione consanguineorum, industria, parsimonia, etc. quia talia bona *non* pertinent ad Ecclesiam ratione constitutionis, canonis aut legis... Et sicut pater, e cuius potestate liberatur filius per episcopalem dignitatem non propterea privatur eius successione, ita videtur monasterium non esse excludendum a successioni sui filii spiritualis, religiosi Episcopi (vel Vicarii Generalis). Quae post confirmationem prospectu Ecclesiae acquiruntur, ad Ecclesiam pertinent ».

Religiosus vero a votis simplicibus, cum per professionem dominium bonorum suorum non amiserit, eorum quae habebat recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea, durante munere, sibi obveniant, intuitu quidem personae aut muneris, sibi plene acquirit (c. 628, 2°); quae, denique, dentur intuitu Religionis, expendere debet secundum offerentium voluntatem (c. 628, 3°). Evidens est quod, dimisso munere et ad Religionem reversus, iste religiosus iterum administrationem bonorum suorum dimittere teneatur et de usu et usufructu eorum libere disponere ac testamentum condere debeat, iuxta praescriptiones c. 569.

Verum effectus morales voti paupertatis, quatenus regularem aut simplicem religiosum erga Deum ligant, non cessant neque imminuuntur quod religiosus evectus sit ad dignitatem Vicarii Generalis. Ideo expensae superfluae et inutiles, itinera recreationis causa suscepta, prodigalitates, luxus in propria habitatione et conversatione aut agendi modo, in directione propriae domus, in cibis, in vestibus, et alia huiusmodi illi vetantur, cum sint contra votum paupertatis, quod pro ipso substantialiter neque suspensum neque dispensatum est [6]. Integer insuper spiritus paupertatis in usu bonorum ceteroquin concesso observandus videtur.

---

[6] cfr. Cavigliolì, *Manuale di D. C.*, Torino, 1939, p. 437, nota 1.

4. Quoad religiosam observantiam, religiosus, suscepto munere Vicarii Generalis eoque perdurante:

a) non tenetur eas regulas et constitutiones et traditiones observare sub poenis et censuris in ipsis contra transgressores comminatis;

b) nec tenetur servare regulas et constitutiones et traditiones, quae novam propriam dignitatem ecclesiasticam dedecent, vel Apostolico officio, quo fungitur, repugnant, vel saltem rectum eiusdem officii exercitium impediunt;

c) tenetur vero, et quidem sub gravi, gestare habitum suae Religionis quoad materiam, formam et colorem, et tonsuram deferre eodem modo ac ceteri suae Religionis alumni.

5. Non secus ac sacerdotes saeculares eadem dignitate insigniti, religiosus susceptum munus Vicarii Generalis sedulo et conscientiose exercere debet omnibusque peculiaribus muneris obligationibus ligatus, eiusque privilegiis ditatus. Qua re, ipse publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus (c. 370 § 1), etiamsi ipse canonicus non sit [7]. Siquidem, Vicarius Generalis personam gerit Episcopi et iurisdictionem in omnes clericos dioecesis habet, nullo excepto, etiam in totum Capitulum (c. 368).

Quoad coetera honorifica privilegia et honoris insignia, c. 370 § 2 optime distinguit:

a) si sit Episcopus titularis, omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet (c. 349 § 1);

b) secus, durante munere haberet tantum privilegia et insignia Protonotarii Apostolici titularis [8].

6. - Nullibi in Codice invenitur expressa distinctio inter Vicarium Generalem saecularem et religiosum in hac materia. Neque, per se, alienum a littera Codicis videtur religiosis honores et exemptiones dignitatibus et officiis adnexos concedere.

Sed ambitio est radix multorum malorum in Ecclesia et vitium in religioso abominabilius quam in aliis personis [9]. Ad arcendam igitur vanitatem spiritui religioso contrariam, prohibentur tituli

---

[7] PPC., 17 maii 1919.

[8] Const. Ap. *Ad incrementum*, 15 aug. 1934.

[9] Augustine, *A Commentary on Canon Law*, III, St. Louis, 1919, p. 147.

dignitatum vel officiorum mere honorifici in c. 515 [10]. Verum prohibitio expresse quidem et primario titulos honorificos ex officiis in Religione functis concernit; sed auctoritate Commentatorum [11] ad titulos honorificos ecclesiasticos v. *Monsignore* extendi quoque debet.

Negari quidem non potest religiosum, Vicarii Generalis munere adsumpto, vere esse Praelatum ad sensum c. 110, cum titulo praelati in iure decorentur « clerici sive saeculares sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent ». At non omnes praelati honores habent et privilegia Protonotariorum Apostolicorum titularium. Haec enim tantum honoris causa a Sede Apostolica sive per ius sive per indultum determinatae personae conceduntur. Certe, si habeatur indultum Apostolicum, res soluta est, quia in ipso indulto implicite saltem dispensatio ab inhabilitate continetur. Si e contra per ius ipsum personae determinatae in aliquo officio constitutae tituli honorifici concedantur, non est qui non videat incongruum omnino esse tales titulos etiam religiosis concedere, qui et mundo et vanitatibus eius professione sua iam valedixerunt. Titulus enim v. *Monsignore* et privilegia honorifica et insignia Protonotariorum Apostolicorum titularium, etsi cum officio Vicarii Generalis connexa, sunt nihilominus aliquid ei superadditum, extrinsecum, quod ab eo separari potest sine detrimento officii ipsius, et ambitioni favet.

Eadem ratio viget pro Superiore Ecclesiastico Missionis sui iuris seu Independentis, qui est Ordinarius sui territorii et quidem primo loco, sed titulo *Monsignore* non decoratur neque vestibus praelatitiis utitur.

Accedit implicita confirmatio Sanctae Sedis, quae v. gr. titulum *Excellentiae* etiam religiosis Praelatis Maioribus in Romana Curia officialiter negat.

7. - Nihilominus, titulus cum officio, etsi extrinsece, coniungitur, et conveniens quandoque videri potest ut qui habet onus ex officio, habeat quoque honorem inde emanantem [12]. Qua re sunt nonnulli, qui acute et veluti artificiose distinguant inter titulos mere et undequaque honorificos et titulos qui cum aliqua exemp-

---

[10] Sipos, *Enchiridion*, Pécs, 1940, p. 350.

[11] Conte a Coronata, I, p. 663; Schaefer, *De Religiosis*, Romae, 1947, p. 291, n. 573.

[12] Exc.mus Mathias, *The Dioecesan Curia*, Madras, 1947, p. 31.

tione et onere coniunguntur: illos proinde negant religiosis, istos, vero, saltem ex convenientia, concedunt [13].

Ad rem SCHAEFER: « Tolerantia hic non est aliquid mali, sed res indifferens, quae pro casu conveniens aut inconveniens esse potest. Agitur potius de permissione rei honestae, *quae tamen iuris favorem non habet* » [14]. Quibus rationibus ducta S. Congregatio de Religiosis quandoque pro gratia concessit quod iure negabatur [15].

Verum dispositio unica et generalis in hac materia opportuna videretur, ne scil. habeantur differentiae inter religiosos, quae odiosae fiunt in iure, quatenus nonnullis concederentur et titulus et vestes praelatitiae, nonnullis vero ex facili arbitrio negarentur.

AUGUSTINUS PUGLIESE
A studiis S. C. de Relig.

---

[13] CONTE A CORONATA, I, p. 663

[14] *De Religiosis*, n. 573.

[15] Idipsum v. gr. concessum fuit Societati Verbi Divini (29 dec. 1958) pro suis sociis in Vicarios Generales nominatis.

DE S. CAROLI BORROMAEI CURA DE CONTENTIS SPIRITUALIBUS-SUPERNATURALIBUS ARCHIVORUM ECCLESIASTICORUM.

(CONCILIA PROVINCIALIA, S. CAROLO, PRAESIDIUM GERENTE, MEDIOLANI CELEBRATA, IDEAM ARCHIVORUM (ARCHI)EPISCOPALIUM UT RECEPTACULORUM VALORUM SPIRITUALIUM-SUPERNATURALIUM CLARISSIME EXPRESSERUNT).

SUMMARIUM: A. *De impulsu, apparenter parvo, a Concilio Tridentino rei archivisticae ecclesiasticae tributo, sed a S. Carolo Borromaeo demum redditio efficaci.* B. 1. *De valoribus spiritualibus-supernaturalibus* positivis, *Archivo (Archi) episcopali in custodiam tradendis.* I. De valoribus, ad Ecclesiae vitam supernaturalem *externam* spectantibus, per archivum ecclesiasticum tuendis. 1. De professione fidei, a magistris literarum atque artium liberalium emissa vel emittenda libro inscripta Archivo Episcopali custodienda. 2. De libro Bullarum Summorum Pontificum, quovis secundo mense extenso in Archivo Episcopali ponendo. II. De valoribus supernaturalibus, ad Ecclesiae vitam internam seu gratiae spectantibus atque in singulis eorundem libris scriptim Archivo (Archi) episcopali confinis. 1. De valoribus, pro Ecclesiae vita interna *necessariis*, libris de singulis Sacramentis necnon de statu animarum confectis inserendis atque Archivio Archiepiscopali in custodiam tradendis 2. De valoribus, pro Ecclesiae vita interna non necessariis seu supererogatoriis vel voluntariis-liberis in eorundem libris singulis conscriptis in Archivo Episcopali collocandis. a. De valoribus religiosis, expressis obligationibus *libere* susceptis — veluti votis, institutis veteribus vel usibus observandis — bene notatis Archivo Episcopali inserendis. b. De valoribus religiosis, expressis per zelum acquirendi indulgentias, ecclesiis vel urbibus concessas, in libro vel codice inscriptis Archivo Episcopali custodiendis. c. De valoribus religiosis, expressis per cultum reliquiarum directe ac Sanctorum vel Beatorum indirecte manifestatis, in libro speciali reliquiarum conscriptis per Archivum Episcopale asservandis. B 2. *De valoribus spiritualibus-supernaturalibus* negativis *seu de inflictionibus poenarum ac mulctarum ecclesiasticarum, vitae internae atque gratiae Ecclesiae summopere proficuis, ab Episcopo in codice speciali — ut persolvendis non minus quam persolutis — bene notatis in Archivo Episcopali* aservandis. *C. De valoribus quoque materialibus, operibus vitae internae seu gratiae Ecclesiae, adhuc in terra Certantis,* semper plus minusve inhaerentibus in variis *archivis ecclesiasticis custodiendis ac iam dudum custoditis.*

PROOEMIUM

Kalendis currentis anni Novembribus tria et dimidium erunt revoluta saecula a die illo illustri, quo Paulus V, eius temporis Summus Ecclesiae Claviger, Carolo, ex clarissima Borromaeorum gente oriundo, magno heroicae caritatis Angelo, Mediolanensis Ar-

chidioecesis ac Provinciae Praesuli, in odore insignis defuncto sanctitatis, suo Motu proprio notissimo ad perpetuam memoriam publici iuris facere dignatus est haecce verba grandissima: « ... hodie in sacrosancta beati Petri principis apostolorum basilica [,eo ipso temporis spatio interposita inter aedificium constantinianum, magna ex chori parte, adhuc exstans, atque aliud michelangelo-madernense, ex parte reliqua iam exstructa,] ... ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis ac fidei catholicae exaltationem et religionis christianae augmentum ... bonae memoriae Carolum Borromaeum ... Sanctum esse definivimus ac Sanctorum Catalogo adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, illumque omnes fideles venerari mandavimus et mandamus. ... Datum Romae, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1610, kal. Decem. Pont. Nostri VI ». *

Qui honos ab Universitatis christianae in terra altissimo Moderatore non levi tributus fuerat animo: Per summopere arduum processum canonizationis pertransire debuerat ille Sanctus, qui revera dignus est, qui in maximis Historiae Ecclesiae heroibus virtutum christianarum numeretur; ne levissima quidem suspicionis umbra supremum honorem, altarium scil., praestanti Curiae Romanae Cardinali ac Pii IV P.P. nepoti concessum, unquam in posterum obscurare valeret!

Omnium magni S. Ambrosii successoris veneratorum haud parum scire ac notare intererit ipsi proclamationi sollemni canonizationis delegationem Concilii Septimi Provincialis Mediolanensis interfuisse, postquam Sexto Sanctus novissimus, tunc adhuc *in hac lacrimarum valle* degens, praesidere illudque ad felicem finem perducere dignatus est.

Memorato documento pontificio teste, una cum canonizationis sollemniis S. Caroli dies festus in quartam Novembris diem a Paulo V P.P. stabilitus est. Unde tractatus, praesentatus pro Sancti elevationis in altaria supremae iubilaeo, coniungere quoque intendit piam eiusdem in Coelestem Patriam transitus memoriam.

Magnae sane est fortunae S. Caroli diem natalem una celebrari cum faustissimo eventu recurrentis secunda vice coronationis Ioannis XXIII, qui Summus Ecclesiae *Nauta* S. Petri naviculam indefaticabili opera suaviter, sed non minus fortiter, per procellas

---

* Quod attinet ad Mot. propr., § 55 et ad facta allata, vide: *Bull. Rom.* ed. Rom., t. V, p. III, pp. 409-15; vel ed. Taurin., t. XI, pp. 651-52. Quo in mot. propr. Papa, superatis processus difficultatibus, non amplius cunctanter, sed absque haesitatione, laudes virtutum S. Caroli ad coelos extollere non sategit; ad rem vid. etiam, quae ad rem habet: Pastor, *Geschichte der Päpste*, ed. 1-7, Friburgi Br., 1926-34, v. XII, pp. 183-86 necnon pp. 190-202.

turbulentas, perniciemque hisce temporibus minitantes, gubernat. Neque sit silentio praetermissum illud factum, quod idem Papa neoelectus inter varios dies — cedendo magnae venerationi erga Conciliorum cum Dioecesanorum tum Provincialium Mediolanensium magnum convocatorem ac moderatorem, quocum se insuper vinculo communis provinciae ecclesiasticae speciali coniunctum sentit — selegerit S. Caroli diem festum, ut per totum suum pontificatum dies coronationis, quotannis pie recolendae, fieret ac maneret.

Die quarto Novembris praesenti anno modo speciali S. Carolo Borromaeo dedicato, filii Patris Communis fervidissimas ad magnum sanctum Praesulem Mediolanensem preces in Coelestem mittent, ut ipse a Capite Ecclesiae Invisibili recursum quam plurimorum coronationis sollemniorum pro eius in terris Vicario imploret.

Scriba linearum praesentium, intendens ratione iubilaei canonizationis ac determinationis diei festi contribuere pro suis viribus paululum laudi S. Caroli, hisce eum sub aspectu novo, non aut vix passim noto, praesentat, scil. qua archivorum ecclesiasticorum in spiritu Reformationis Tridentinae sanctificatorem.

Archiva, inde a S. Caroli diebus non forent amplius merum speculum valorum ac possessionum Ecclesiae materialium vel semi-materialium, sed earum rerum quoque, quae praeprimis sunt — incolumi elemento materiali ipsis necessario adhaerente — *non de hoc mundo*, sed de Regno Coelesti. Abhinc in Ecclesiae archivis locum occupabunt praestantem valores veluti: Liber Sacramentorum, reliquiarum, indulgentiarum, votorum, sacrorum usuum atque institutorum publicorum. Archiva Ecclesiae respirabunt odorem coelestem aeremque supernum — rebus necessariis materialibus minime exsulibus ab iisdem. Magnus ille valorum archivisticorum elevator in regiones sublimes-supernaturales est nemo alius nisi magnus Praesul Mediolanensis, assiduus Concilii Tridentini fautor ac promotor, qui e loco civium supernorum continuam Ecclesiae renovationem indesinenter custodit.

A. DE IMPULSU, APPARENTER PARVO, A CONCILIO TRIDENTINO REI ARCHIVISTICAE TRIBUTO, SED A S. CAROLO BORROMAEO DEMUM REDDITO EFFICACI.

Dolendum esse videtur quod magnum *Concilium reformationis* scil. Tridentinum, exiguam dumtaxat de archivis ecclesiasticis erigendis, restaurandis atque implendis curam dedicaverit [1].

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 1 necnon *ibid.*, cap. 16.

Duabus solummodo vicibus et tunc insuper laconice vel indirecte de iisdem est locutum: Primo, quando parochis obligationem imposuit conficiendi librum matrimonialem [2]; secundo, cum dioecesis modo vacantis Ordinario *loci* novo, pro ipso momento susceptae dioecesis, statim inculcavit onus Capituli rationem de scripturis, ad Ecclesiam pertinentibus, reddendi et logice ipsi novo Praesuli videndi, ut hoc revera fieret [3].

S. Carolus, inter paucas lineas, a magno reformationis Concilio de archivis ecclesiasticis exaratas, legere sciens eiusdem curam vivam quoad depostoria librorum tanti momenti ex iis loqui sentiebat. Ea de causa Concilii Tridentini, ad rem quoque archivisticam quod attinet, optimus interpretator evasit ac leges pro archivis in Conciliis Provincialibus Mediolanensibus — suo sub praesidio celebratis — ad applicationem practicam ferre valuit, ita mentem Patrum Tridentinorum executioni mandando.

Intercessio S. Caroli in re archivorum ecclesiasticorum in suo momento decisivo ac progressivo vix exaggerari valet. Imprimis influxus magni Sancti in regiones linguae italicae, hodiernae Italiae unitas, in campum quoque archivisticae sese expandit. Cum illis diebus Territorium Mediolanense sub dominatione *Regis Catholici* seu Hispaniae erat constitutum, patet ideas « carolinas » ibi quoque eo setius ingressum spontaneum ac celerem invenisse, cum fama de notoria sanctitate heroica Archiepiscopi Mediolanensis passim de die in diem magis diffunderetur. Ad regiones idiomatis germanici quod attinet, itinera S. Caroli, in Helvetiam ultra S. Goderhardi Montem reformationis tridentinae causa suscepta, sine dubio reflexum quoque fortem in problema practicum archivorum ecclesiasticorum habuerant; id eo vel magis est assumendum, quia partes catholicae Germaniae, cantonibus helveticis vicinae, ad ideas religiosas sancti Visitatoris Apostolici adoptandas facile erant promptae. Dicta comprehendendo statuendum est Europam mediam ac meridionalem diffusionis reformationis catholicae, e Mediolano effluentis, participes evasisse. Indagines, ad rem instituendae, magnum momentum valorum spiritualium, ut sequelam influxus S. Caroli in archivis catholicis abhinc inculcari incipientium, demonstrabunt.

---

[2] *Ibid.*, cap. 1, Decr. « De reformatione matrimonii », vers. fin.

[3] *Ibid., de ref.*, cap. 16 sub titulo « De constitutione Vicarii et Oeconomi sede vacante ad Capitulum pertinente », ubi sermo est de « novo Praelato » magis generice.

B 1. De valoribus spiritualibus-supernaturalibus positivis in libro scriptis, Archivo (Archi)episcopali in custodiam tradendis.

Tantum obiter percurrens obiecta varia, secundum Concilia Provincialia Mediolanensia in archivis ecclesiasticis secure custodienda, facile concipiet ideam, ac si agatur praecipue de inventariis, registris seu catologis, possessionem Ecclesiae materialem determinandis. Talem ideam non esse plenae veritati consentaneam e tractatulo praesenti — qui investigationibus textuum Conciliorum dictorum innititur — patet; ex eodem potius elucet magnum spatium valoribus quoque mere spiritualibus ordinis supernaturalis ibidem relictum fuisse.

In praesenti tractatulo valores supernaturales-spirituales sub duabus supremis categoriis evolventur, scil. *positiva* prima, *negativa* altera. Quarum prima est iterum in binam abiens classem, prout potius *mediate* atque modo *externo* vitam internam-supernaturalem gratiae Christi in Ecclesia tangunt vel prout magis *immediate* ad eandem ducunt. Illi classi attribuendi sunt valores velut externa fidei professio, datis occasionibus publicis praestanda, vel cauta retentio ac praeservatio documentorum imprimis pontificiorum, de orthodoxa catholica fide, tempore critico clare instruentium. Ad hanc vero classem spectant ii valores, qui intime cohaerent cum vita caritatis cum Deo, eandem conferendo, augendo, quovis modo roborando vel conservando. Eiusmodi valores sunt receptio Sacramentorum, emissio votorum, quorum alii sunt de mandato alii liberae voluntati commissae. Quod attinet ad alteram categoriam, scil. *negativam*, veluti poenas vel mulctas, iis divisione ulteriore sicut pro *positivis* non est opus, saltem non considerato tractatuli scopo.

I. *De valoribus, ad Ecclesiae vitam supernaturalem* externam *spectantibus, per archivum ecclesiasticum tuendis.*

Fides, quae *venit ex auditu,* per se non supponit vel includit virtutem-item divinam-caritatis Dei neque una cum ea possessionem gratiae sanctificantis ac iuris in visionem aeternam beatificam. Unde a fortiori neque professio publica fidei, etiamsi connexa cum summis sollemnitatibus neque eiusdem acquisitio, quantumvis ex altis documentis pontificiis hausta, cum virtute caritatis divinae coniuncta est. Potius eadem excitat vel auget fidem divinam; quae ex sua parte facile, immo sua sponte, ducit ad caritatem divinam atque ita *indirecte* cohaeret cum vita unionis in Deo per gratiam

sanctificantem. Valores ideo modo exponendi iure meritoque nuncupari debent *externi* vitae *internae* Ecclesiae.

1. *De professione fidei. a magistris litterarum atque artium liberalium emissa vel emittenda, in libro scripta archivo Episcopali custodienda.*

Non est sane conclusio praecox, ex enumeratione in serie aliqua valorum allatorum e loco iis ibidem dato ad eorundem praecedentiam seu aestimationis gradum maiorem colligere. Sex sunt Concilia Provincialia et in primo eorum (1555) tractatur de professione fidei emissa vel emittenda. Eorundem nomina in libro notentur [4].

---

[4] Quicumque literas, et liberales artes quovis nomine, vel publice vel etiam privatim docent, et quales quales (sic!) sint, et reliqui praeterea, quibus Pii Quarti Pontificis Max. constitutione vel eiusdem Provincialis Concilii decreto fidei professionem ad idem praescriptum ante praestent, aut iam praestitum ostendant, aut reipsa praestent.

Qui vero in posterum illud legendi, interpretandi docendique munus suscepturi sunt, fidei professionem ad idem praeceptum ante praestent quam id suscipiant Exerceatè (sic.).

Hiq. (sic!) et illi omnes libro notentur. *Acta Ecclesiae Mediolanensis, a S. Carolo condita, Federici Borromaei iussus collecta et edita* (Mediolani, 1599), p. 467. (Abhinc citanda simpliciter: *Acta Ecclesiae Mediolanensis;* dato casu etiam abbreviatae apparent hae tres voces).

Si quis mavult recentem editionem textuum Conciliorum Mediolanensium consultare, adeat: *Acta Ecclesiae Mediolanensis ab eius initiis usque ad nostram aetatem,* opera et studio presb. Achillis Ratti [Pii XI p. m.], 3 voll., Mediolani, 1890-97 (I. vol. non est publici iuris factum). Citabitur abhinc sub: «col., coll. praefixo volumine ad inst. huius exempli: v. II, col. 238 vel coll. 340-45.

Pro materia, in praesenti appendice sub aspectu archivistico tractata, praeter hunc fontem adhuc alius iterum ac saepius in marg. citatus apparet; scil. in codice aliquo, modo compendioso comprehensa, decreta sex *Conciliorum Provincialium Mediolanensium* ad usum immediatum practicum congesta inveniuntur, in bibliogr. legentia ita: *Decreta Provinciae Mediolanensis,* sub Carolo Borromeo, Cardinale Archiepiscopo diversis temporibus in sex Conciliis totidemque voluminibus edita a Caesare Speciano Episcopo Cremonensi iuxta illius sancti Cardinalis et Archiepiscopi mentem ad instar Decretalium Gregorii Papae Noni in unum Codicem collecta (Brixiae: Apud societatem Brixianam, 1595), c. 3, p. 507. (Abbreviatum apparebit hoc op. abhinc: *Decreta Provincialia Mediolanensia;* quae tres voces data necessitate ulterius abbreviatae dabuntur, ob raritatem libri, exactius). Collector Ill.mus ac Rev.mus textus varios secundum *mentem illius sancti Cardinalis et Archiepiscopi,* scil. Caroli Borromaei, congessit. Hoc quidem ita fecisse censendus est, ut textus publicos, prout in origine a Patribus Provincialibus Mediolanensibus creati fuerant, cum certa quadam libertate adoptaverit: Hic atque illic phrases faciliores

Agitur de duabus horum magistrorum categoriis, quorum prima est eorum, qui munus iam susceperunt seu in eiusdem possessione iam ante Concilium I fuerunt constituti. Ex his omnibus alii sunt, qui emissionem fidei iam praestiterunt, alii qui illud praestant tamquam sequelam dicti Concilii; quodsi debito suo iam satisfecerint, iis onus est hoc factum probandi. Secunda categoria comprehendit eos, qui muneris possessione nondum gaudent, sed demum hoc sunt suscepturi. Patet tales ante hoc factum ad professionem fidei emittendam teneri.

Utramque magistrorum classem, nominibus eorundem in libro notatis atque ita oblivioni ereptis, absque data probatione indubia rectae fidei catholicae pro foro externo, immo publico, ad exercendum magisterium in munus docendi litteras atque artes liberales sive non admitti sive in eo non ulterius tolerari liquet. Notanda sunt in libro non tantum eorum *nomina*, sed etiam *indoles* viri docentis. Bene etiam hic notes professionis fidei obligationem magistris non solum publicis, sed etiam privatis, imponendam esse.

Quam curam, apparenter exaggeratam, pro fide orthodoxa magistrorum disciplinarum mere saecularium tantum is iuste perpendere valebit, qui historiam perspectam habet ex altera parte humanismi — ex magna parte Ecclesiae infensissimi, neopaganismum restaurare volentis — ex altera haeresiae in Italia superiore ob propinquitatem Helvetiae ac Teutoniae passim ad instar veneni insidiosi serpentis. Infectio seu contagio per neminem facilius ac minus observate in iuvenum animos innocuos intrudi valet quam per litterarum atque artium liberalium magistros. S. Caroli curae pro sacro deposito catholicae fidei necnon sagaci mentis

---

reddendo atque legentium captui spirituali adaptando. A. v. valor interpretativus collectioni, a Caesare Speciano Episcopo praestitae, inesse praesumendus est. Illustrationi serviat mutatio textus hic ultimo loco sec. ed. posteriorem Fed. Borromaei (1599) noti. « Quicumque literas, et liberales artes ... docent, et quales sic sint, quibus Pii IIII Pontificis Max. constitutione vel *supra* fidei professionem facere iussum, *trium mensium spatio illud ad formulam ab eodem Pontifice praescriptam,* aut iam *praestitisse* ostendant, aut reipsa praestant.

« Qui vero in posterum illud legendi, interpretandi docendique munus suscepturi sunt, fidei professionem ad idem praescriptum ante praestent quam id suscipiant *exerceantuè* (sic!) ».*Loc. cit.* Nemo non videt redactionem ultimam clariorem captuque faciliorem esse proindeque in casu dubii pro interpretatione ad eandem confugi posse.

Nota bene utrumque fontem eatenus quoque esse valoris particularis, quatenus ad aetatem Conciliorum provincialium, Mediolani habitorum, prope accedunt scil. ob exiguam distantiam annorum originis duarum editionum, 1599 necnon 1595, ab ultimo sex *Conciliorum Provincialium Mediolanensium,* anno 1582 celebrato.

Patrum Tridentinorum interpretationi summae cedit laudi, quod in quaestione dictorum magistrorum mensuram summae suspicionis applicaverit. Nemo sane probationem suae fidei rectae per actum professionis fidei sub vigili Pastore mediolanensi effugere poterat!

Remanet adhuc hic parvum problema tractandum de hoc libro, scil. utrum secundum voluntatem Concilii Provincialis V Archivo ecclesiastico, Episcopali vel Archiepiscopali, tradendus sit an non. Secundum textum ipsum, literate sumptum, hoc non esset statuendum, sed si quis consideret Conciliorum Mediolanensium formam stereotypicam « in libro inscribatur » etc., quam sequi solet forma « in archivo collocetur » etc., etiam hic post primam formam adhibitam secundum totum contextum alteram quoque ut addendam cogitabit. Eo vel magis hic liber particularis in archivi custodia secura esset collocandus, quia sane est maximi momenti pro vita fidei iuventutis. Quot sane dubia occurrere possent de orthodoxia unius alteriusve magistri artium liberalium ac litterarum! Quae dubia facile ac brevi manu solvi possunt, si semper recursus patet ad archiva publica ecclesiastica. E contrario item constat, quam arduum, immo plerumque vix efficiendum, sit eiusmodi serium ac grave dubium solvere deficiente secura publica custodia et solummodo exstante privata! Quae omnia legislatores Concilii I Mediolanensis praeviderunt. Non sine ratione iam statim in totius seriei Conciliorum primo hunc librum ad iuvenum fidem efficaciter protegendam exegerunt, quem vix in custodia privata, minus stabili, relinquere intendebant. Si quis vero critice suum hic praestare nollet assensum, in reliquis tractatuli punctis explicitam Archivi (Archi)episcopalis mentionem non desiderabit.

2. *De libro Bullarum Summorum Pontificum, quovis secundo mense extenso in Archivo Episcopali ponendo.*

Constat variis finibus Bullas Pontificias secundum diversas temporum circumstantias servire debere. Modo scopus earum primarius est dogmaticus vel defensio fidei modo vero practicus, directus in morum christianorum confirmationem vel restaurationem. Cum eo tempore integritas sacri depositi fidei, a saeculi XVI novatoribus vehementissime fuerit in discrimen redacta apud permultos Ecclesiae filios, facile patet cura constans Patrum Tridentinorum omnibus mediis fidei catholicae conservandae adlaborandi; inter quae constat Bullas Pontificias praeprimis, per varios adhuc annos magnum Concilium insequentes, dicto fini alto ac difficili servire debuisse. Tridenti lineis dumtaxat generalibus tractis, Summi Pontifices ante omnia suis bullis ad conditiones reformationis

concretas populorum, fidei periculum subeuntium, descendebant. Iterum atque iterum ab Urbe novae bullae in Episcoporum Curias influebant, et quidem adeo frequenter, ut Patres Provinciales Mediolanenses non possent, quin acrem suam attentionem ad eas dirigerent [5]. Serium ex fluxu continuo frequenti oriebatur periculum, ne bullae saepe inordinate in Episcoporum tabulis ac mensis cumulatae, aut vix omnes aut non caute perlegerentur aut ad vitam animarum immortalium applicatione carerent. Ut tale quid amnino averteretur, Mediolani per Patres Provinciales iussum est bullas recentissimas elapso secundo mense inde ab earundem a S. Sede adventu Archivo Episcopali inserendas esse et quidem — uti patet — in ordine chronologico comprehensas, sic quavis frustratione documentorum gravium evitata. Ulterius a memoratis Patribus inculcatum est diligentem bullarum usum per singulos Provinciae Episcopos esse faciendum. Quod ultimum, ut plenius ac melius perspiciatur, attendas oportet earum varias categorias esse observandas ac statuendas: Aliae sunt instructiones secretae, a S. Sede Episcopis datae ut lineae, secundum quas gregem sibi commissum sine dubio imprimis in spiritu reformationis tridentinae in futurum essent educaturae ac directurae. Tales bullas qua tales notitiae populi gubernandi esse caute ob rationes pastorales subtrahendas utpote indolis fiducialis illico patet. Sunt aliae vero bullae, quae, utpote nihil secreti continentes, iam a S. Sede ad publicationem immediatam sunt destinatae.

Inter utramque Bullarum Pontificiarum categoriam assumi vel excogitari posset tertia et quidem intermedia, quae ad neutram categoriam memoratam spectaret. Attribuenda foret ad alterutram categoriam demum per Episcopum et hoc fieret demum post maturam eiusdem ruminationem ac deliberationem praehabitam. Quadsi Episcopus in dato casu rationem habeat sufficientem eam ad se fuisse missam ad eiusdem usum immediatum a S. Sede transmissam, non haesitet eam quam primum publici iuris facere;

---

[5] Decreta Condita in Concilio Provinciali Mediolanensi II (1569): « Summorum Pontificum Bullae, quae quotannis de quavis causa ab illis edentur, Episcopus duobus saltem post mensibus, quam illas Romae editas cognoverit, in sua dioecesi eas potissimum promulgandas curet, quas promulgari in iis ipsis iussum erit, tum illas item, quas ad Ecclesiae suae gubernationem pertinere aliqua ratione posse iudicabit ».

« Quare omnium Bullarum librum confici et in Episcopali Archivo asservari iubeat ».

« Metropolitani autem cura sit, eas omnes, cum primum acceperit, ad singulos Provinciae Episcopos mittere » — *Acta Ecclesiae Mediol.*, p. 61/62; v. II, col. 171; *Decreta Provincialia Mediolanensia*, c. 20, p. 89.

quodsi vero res se aliter habeat, eam caute teneat custoditam ac secrete ac sine rumore publico ad reformationis tridentinae opus applicet.

Abstractionem a quavis ex dictis categoriis faciendo, id unum est omnibus Bullis Pontificiis in communi, scil. Episcopis modo non timido ac leni, sed potius imperioso ac severo onus impositum esse curandi, ut bullae omnes — nulla concessa exceptione — sine ulla contentorum differentia cautissime custodiantur. Ut seria S. Sedis intentio adhuc magis pateat, hic statim notes oportet eas non in libro quocumque, iam ob alias rationes exstante, esse simpliciter addendas. Mandatum potius est datum pro bullis recipiendis *proprium* librum esse conficiendum; uno quodammodo hiatu forti iubetur dictum librum speciali custodia ab inimicis esse arcendum atque ideo Archivo Episcopali esse includendum. Ex his omnibus simul sumptis signis curae extraordinariae de thesauro Bullarum Pontificiarum relate ad opus reformationis tridentinae fortis spiritus ac zelus Patrum magni Concilii loquitur.

II. *De valoribus supernaturalibus, ad Ecclesiae vitam* internam *seu gratiae spectantibus atque singulis eorundem libris scriptim Archivo (Archi)episcopali confisis.*

Hucusque de valoribus supernaturalibus-spiritualibus sermo fuerat, qui relationem dumtaxat *externam* ad vitam Ecclesiae internam seu gratiae continere valebunt, veluti emissio professionis fidei catholicae — scriptim in Archivo Episcopali custodienda — vel Bullae Pontificiae, efficacia verae reformationis Ecclesiae religiosae instrumenta, item scriptim tuto asservandae. Eiusmodi valores sunt quidem etiam naturae supernaturalis, sed de iis, quae in sinu Corporis Christi Mystici in gratia Christi Redemptoris fiunt, reflexus tantum plus minusve remotos repraesentant. A limine iam statui potest sanctum Archiepiscopum Mediolanensem scopum archivorum ecclesiasticorum nimis profundum vidisse, quam ut cum expositis valoribus tantum custodiendis satisfactus fuisset. Hic iam statim ab initio inculcandum est Sanctum Carolum nullum valorem, spectantem ad ambitum gratiae supernaturalis Christi, ab archivorum protectione excludere voluisse et reipsa non arcuisse ab eadem. E s. Theologia constat opera, a fidelibus ad nanciscendam aeternam salutem praestanda, duplicis esse generis. Altera sunt *indispensabilia* pro quovis ad coelum viatore, altera vero sunt pro eodem voluntati liberae commissa seu *supererogatoria*. Ad primum genus spectant generatim Sacramenta *Novi Foederis*, consideratis conditionibus particularibus personae recipientis. Ad

secundum genus spectant permulta reliqua, e quibus eminent susceptio libera votorum, usus diligens indulgentiarum, cultus Sanctorum, Servorum Dei fidelium eorumque reliquiarum.

1. *De valoribus, pro Ecclesiae vita interna* necessariis, *libris de singulis Sacramentis necnon de statu animarum confectis inserendis atque Archivo Archiepiscopali in custodiam tradendis.*

Ex actis Concilii Tridentini constat ab eodem tantum pro sacramento matrimonii a parochis librum proprium exarari iussum esse. Ratio imprimis fuit nova lex anticlandestinitatis, solummdo coniugia sub praescripta forma contracta coram Deo ac facie Ecclesiae valida agnoscentis [6]. Cum vero quodvis sacramentum sit *medium efficax gratiae*, liquet dictum librum in futuro evasurum esse librum pro mediis sanctificationis *in genere*. De sacramento matrimonii notes id uno quasi passu distare a baptismi sacramento quoniam absque hoc *regenerationis* sacramento neque matrimonium summopere publicum ac sollemne continet ullum valorem supernaturalem, etiamsi accessiset nullies forma tridentina. Prope accedit roboratio per Spiritum Sanctum, in Ecclesia semper, speciatim in Orientali, ut supplementum organicum regenerationis per baptismum collatae sentita, i. e. Sacramentum confirmationis. Qui proinde plene ideam ruminat baptismi, non potest, quin eiusdem supplementum sacramentale, scil. confirmationem, implicite includat.

Homo, pro vita supernaturali natus in baptismo, a Spiritu Sancto roboratus in confirmatione, indiget nutrimento stabili, iterum repetito, scil. s. Eucharistia, ut cibo caelesti semper cotidie oblato; ulterius animae, in luctamine cum potestatibus tenebrarum haud raro feritae, in auxilium venit sacramentum purgationis seu s. confessionis. Talibus vel similibus considerationibus ducti, Patres Concilii Provincialis V Mediolanensis (1579) libros pro aliis quoque Sacramentis praeter matrimonium conceperunt atque confici mandarunt. Eos omnes una cum nominibus recipientium dicta media salutis aeternae Archivo Archiepiscopali Mediolanensi tradendos esse iusserunt [7].

---

[6] « ... Notarii Episcopi in aliquo libro descriptum diligenter adservent, in quo coniugum et testium nomina, ex praecepto Tridentini Concilii scribere debent; quidquid vero in eo libro parochi singulis annis scripserint, id in fine anni Episcopo describendum tradant ». — *Decret. Provinc. Mediolanen.*, tit. I, cap. I, p. 457.

[7] Decreta quae ad clericos pertinent. « in baptizatorum ipsorum, et compatrum nomina, item Matrimonium contrahentium, annotando et Statum ani-

Inter septem Novi Foederis Sacramenta momentum unicum ac supereminens competit baptismo, portae ad Regnum Christi et ad validitatem quorumvis reliquorum Sacramentorum. Non est ideo mirum, quod Patres quoque Mediolanenses non fuerint satisfacti quod eidem una dumtaxat vice, simul cum Sacramentis *in genere,* attentionem dedicaverint, quando etenim baptismi collati factum per inscriptionem in libros ordinarios paroeciales pro foro externo securum ac probandum reddere intenderant, sicut tractatus hucusque demonstravit. Patres Provinciales, quamcumque incertitudinem *dubii facti* a limine excludere volentes, pro baptismis inscribendis adhuc alium praeter ordinarium paroecialem librum creari mandarunt, scil. pro tempore deplorabili, quo sacramentum regenerationis non — sicut in cursu solito — in ecclesia paroeciali et cum animo tranquillo conferri et, hoc facto, cum mente imperturbata in librum ad id destinatum inscribi valebat, scil. tempore luis pestiferae. Permult infantes procul a domo paterna in nosocomio nati ac praecipitanter renati non statim in libro baptizatorum paroeciali inscribi poterant; ne innumeris dubiis relate ad baptismi collationem ansa praeberetur, liber additionalis baptismalis a Patribus Mediolanensibus creatus est, qui flagella terribili vigente nomina sub condicionibus gravissimis Deo atque Ecclesia providente se-

---

marum conficiendo ad praescriptam formam, ipsi libri statutis temporibus deferendi in Archivo Archiepiscopali servandi ». — *Acta Ecclesiae Mediolanensis,* p. 467 I; v. III, col. 1192. Adhuc adiiciatur explanatio relate ad Sacramenta s. Eucharistiae necnon s. confessionis. Etiamsi nihil hic de iisdem contineretur, tamen secundum mentem Patrum Mediolanensium Conciliorum Provincialium libri pro Sacramentis, iacentibus inter baptismum et matrimonium, quoque *secundum communiter contingentia* facile supponi ac suppleri valerent. Sed tali conclusione indirecta *e silentio* non est opus, cum in contextu citato modo quasi parenthetico sermo sit de communione paschali annua necnon de s. confessionis sacramento, et in contextu huius ultimi quaestio invenit mentionem, utrum pater confessarius fuerit parochus *proprius* an alius.

« Decreta Generalia visitatoris apostolici in Synodo *Dioecesana* Mediolanensi V: « In Baptizatorum et compatrum nomina, item Matrimonia contrahentium annotando; et Statum animarum conficiendo ad praescriptam formam; ipsosque libros *statutis temporibus* referendo in Archivum Archiepiscopale ».

« In libro baptizatorum textum aliquanto ampliorem praebet collectio: *Decreta Provincialia Mediolanensia*: « Parochus librum habeat et diligentius custodiat, in quo baptizati, parentum et compatrum nomen et cognomen, diemque nativitatis et an in legitimis nuptiis procreatus sit, describat et quotannis singulorum scriptae eius rationis exemplum det Episcopo, qui id fideliter asservandum curabit ». - c. 8, p. 246.

Explicite quidem hic non dicitur, ubi Episcopus hunc librum asservet; sed inter lineas legere sciens nullum ruminabit dubium, quin agatur de custodia publica episcopali; a. v. non qua persone fiduciae privatae ille liber confiditur, sed qua pastori dioecesis; e quo facile colligitur Episcopum illum

curae memoriae in generationes futuras salvaret. Ne liber tanti momenti, hospitalis portis iterum clausis, periret, eiusdem translatio in Archivum Episcopale proximum mandata est. Agitur de tempore pestis, 1576 in tota regione mediolanensi innumeras victimas lethales, in quibusvis vitae humanae aetatibus constitutas, crudeliter exigente. In nosocomiis, sparsim inhaesitanter erectis exstabant permultae matres gravidae, quarum proles saltem pro vita aeterna baptismo statim collato salvanda erat. In dictis nosocomiis cura de le sacramento salvifico conferendo incumbebat sacerdotibus ibidem activitates varias pastorales exercentibus. Prudentiae summae Patrum Mediolanensium erat, quod non tantum collationi baptismi, sed etiam eiusdem pro foro externo probationi solidae mediante libro proprio « pro tempore pestis » providissent [8]. Quot secus dubia pro variis superstibus orta fuissent!

Non est ullum dubium, quin temporibus, pestem insequenti-

---

non mere in suis armariis privatis propriae suae personae vel familiae custodire debere, sed in suo depositorio qua rectoris dioecesis, quod nihil aliud esse potest nisi Archivum (Archi)episcopale.

Utile erit hic textum comparationis causa afferre, quem praebet op.: « *Decreta Provincialia Mediolanensia* de annua Sacramentorum altaris ac poenitentiae receptione » ... Ut ad S. Eucharistiae et poenitentiae Sacramentum fideliter, sollicité diligenterque accedant, id parochus prestet, ut hebdomada, que Quadragesimam proxime precedit, singillatim ad patrumfamilias edes, que intra parochiae fines site sint, eat ac videat accurate, qui obligatione huius Sacramenti suscipiendi, et Sacræ Eucharistiæ Pasche tempore sumende devincti sint, eorumque nomina r e c t e d e s c r i b a t, ac singulos preterea, eosque presertim, qui perraro confitentur, moneat, ut nè confessionem deferant in postremos illos Quadragesime dies: « — tit. VI, 52, p. 557. Nota bene in textu allato, qui munus parochi ex altera, obligationem fidelis catholici relate ad dicta duo Sacramenta quotannis recipienda ex altera parte severe inculcat, mentionem fieri de inscriptionibus recipientium nominum per parochum peragendis; quod vero desideratur, est explicita obligatio libri ad hunc scopum p r o p r i i conficiendi necnon custodiendi in publico receptaculo Archivi (Archi)episcopalis). Sed ex toto contextu sicut et ex textibus similibus una cum mente Patrum Mediolanensium, in Conciliis Provincialibus adunatorum, illatio quodammodo derivari valet easdem res hic quoque ut per se patentes praesumi posse, immo debere.

Si velis conferre textum parallellum de eadem materia, in *Synodo Dioecesana V Mediolanensi* exaratum, in: *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, pp. 381-388 contentum, differentiam memoratum invenies, quae viget inter textum provincialem ex altera, dioecesanum ex altera parte.

[8] Concilium Provinciale V Mediolanense, tit. De baptismo infanti, peste laboranti suspectove ministrando: « Sacerdotes locorum curationis publicae, quibus tempore pestilentiae baptismum ministraverint et eorum et parentum nomuina et reliqua de more in librum certum referant quem deinceps e pestifera lue purgatum ad Archivum Episcopale ferant. » — *Acta Ecclesiae Mediolanensis* ,p. 243 I; v. II, col. 599.

bus, talis mandati severi beneficium gratissimo animo a pastoribus in paroeciis agnitum fuerit ac Patribus memoratis in haud exiguam prudentiae pastoralis eorundem cesserit laudem.

Quaeri potest, quare isti libri baptismales, in hospitalibus orti, postquam flagella luis pestiferae iterum transiit, non sicut ceteri libri paroeciales — inclusis baptismalibus — in Archivum *Archiepiscopale* custodiae causa migrare debuerint, sed potius in Archivum *Episcopale*. Ad responsum se ultro offert aliqua ratio obvia: Nosocomia, durante peste passim ac velociter erigi solita, in tota regione contagiosa dispersa erant, ita ut periculo in finem perducto libri eorum publici, quod attinet ad materiam baptismorum, in proximum receptaculum publicum, i. e. generatim Curiae proximae episcopalis, transferendi essent.

Hic statim bene est notandum textum ad eandem materiam, in applicatione Synodi *Diocesanae* Mediolanensis, V (1578) modo considerabili diversum esse ab illo Concilii *Provincialis* Mediolanensis V. Sunt duae versiones statuendae, quae aliquo modo sunt cum invicem conciliandae. In hoc sunt concordes, quod collocationem librorum pro Sacramentis in Archivo *Archidioecesano-Archiepiscopali* ponunt, non in *Dioecesano-Episcopali*. Et talis consensus est magni momenti, cum reliqui libri — excepto illo de statu animarum infra tractando — in *Episcopali* Archivo sint custodiendi. Decreta Concilii Mediolanensis ad clericos pertinentia, enixe discrepant ab iis, quae in eadem materia Synodus Mediolanensis V dicere valet. Haec sunt parca et pauca, illa omnino uberiora. Illa sunt toto coelo pleniora, comprehendentia praeter statum animarum [9] multo plura, quattuor scil. Sacramenta una cum eorundem adiunctis superadditis, scl. libros conficiendos pro baptizatis atque eorum compatribus; pro matrimoniis contrahendis cum nominibus, uti per se patet, personarum in casu; singulos libros pro iis, qui obligationi confessionis paschalis satisfecerunt et insuper ea adiuncta, quae se referunt ad sacerdotem confessarium, utrum parochus *proprius* sit secundum regulam an saltem unus ex sacerdotibus approbatis, pro iis, qui s. communionem paschalem

---

[9] Liber status animarum qualiter habendus: «... In quo omnium, qui in eius parochia sunt, nomina et cognomina quamprimum describantur singulorumque sexuum, aetatum ac statutuum. In eo deinceps describat et recenter natos ac mortuos, et in parochiam habitatum venientes et inde emigrantes, quem librum Episcopo, quoties is petierit, vel inspiciendum, vel describendum dabit». *Acta Eccl. Mediolan.*, p. 22 I/II; v. II, col. 78; — *Decr. Prov. Mediolanen.* c. 9, p. 595.

receperunt et qui non. Haec modo quodammodo laconico versantur tantum circa baptizatorum eorumque compatrum nomina et tunc adhuc circa ea contrahentium matrimonia. Librum de statu animarum in communi habent cum Decretis Conciliorum Provincialium.

Phaenomenon aliquod singulare remanet hic indagandum. Secundum communiter contingentia Summa decretorum alicuius Concilii provincialis in certa materia se habet ad correspondentem materiam Synodorum eiusdem temporis ac loci sicut in eodem Statu constitutio tota ad globum legislationis; prima est potius abstracta, secunda magis concreta, prima trahit lineas generales, altera spatia inter easdem adimplet. Perpensa hac consideratione quisquam in Dioecesis Mediolanensis decretis exspectabit applicationem determinatam decretorum Concilii Provincialis ad conditiones in certa re dioecesanas. In casu vero concreto dato res oppositae esse videntur. Decreta dioecesana, in eadem nota bene materia, sunt parca, decretis provincialibus maius spatium occupentibus et in profundum penetrantibus. Varia solutionis causa responsa dari possent. Unum foret forsitan hoc: Materia post decreta mediolanensia iam supereffluenter discussa apparuit membris Synodi Dioecesanae, ita ut quodammodo « aquam in Rhenum versare » fuisset plura in eadem re dicere velle. Non satisfaceret eiusmodi responsum, cum Decreta quoque Provincialia Mediolanensia largas adhuc lacunas implendas reliquerint, variis Sacramentis ne leviter quidem tactis. Aliud responsum foret hocce: Materia Sacramentorum iam per magnum reformationis Concilium superabundanter ob renovatorum oppositionem disceptata ac claris definitionibus dogmaticis comprehensa fuerat, ita ut deputatis synodalibus dioecesanis parva atque obvia annotatio, exempli gratia uno alterove sacramento allato, sufficiens apparuerit. Neque tale responsum rem hic componere valet. Responsum multo magis congruum ac toti contextui consentaneum esset simpliciter hoc: Liber de statu animarum et a Concilio Provinciali V et a Synodo Dioecesana V praeiacuit et destinatus fuit ad securam Archivi Archiepiscopalis custodiam. Sciendum est eiusmodi librum quadantenus omnia reflectere, quae ad vitam religiosam alicuius paroeciae vel regionis spectant; Sacramentorum receptionem partem primariam status animarum constituere est res facile intellectu. Quod responsum solvit varias difficultates simul, inter quas eminet ea, quare et Patres Provinciales et Dioecesani Mediolanenses, libros Sacramentorum enumerantes, incompleti manserant, et qui-

dem magis ultimi, qui, secundum supra exposita, accuratiores esse debuerant primis. Materia iam abundanter in statu animarum tractata, utrumque legislatorum genus se contentare valuerat innitendo in libro correspondente, et quidem absque conscientiae remorsu de munere neglecto.

Verbulum adhuc remanet dicendum, quare et Synodus et Concilium Mediolanense libros Sacramentorum necnon Status animarum Archivo *Archiepiscopali* Mediolanensi potius confidere quam — sicut reliquos — simpliciter *Episcopali*. Brevi manu ad obiectionem factam responderi posset esse inadvertentiam legislatorum, quae occurrerit. Cum etenim venerabilis Mediolani Civitas ante annum Concilii Provincialis V (1579) quinque saltem Synodos Dioecesanas praehabuerit, nihil Patribus Provincialibus Mediolanensibus facilius contingere potuerat quam in Curia Mediolanensi videre qualemcumque Curiam dioecesanam. Assuefacti ad Archiva Archiepiscopalia, eadem etiam talia habere potuerant, ubi functionibus tantum dioecesani Archivi Episcopalis servibant. Statim quisque sentiet hoc responsum ad solutionem vix sufficere. Si tantum alterutrum gremium illustre, aut Concilium Provinciale aut Synodus Dioecesana, errorem commisisset, lapsus advertentiae assumi posset. Sed hoc non valet in casu dato, in quo Decreta et Provincialia et Dioecesana Archiepiscopali Archivo Mediolanensi dictos libros custodiendos tradiderint. Solutio profundior est quaerenda. Non exstat dubium, quin libri Sacramentorum sicut et ille de statu animarum maximi sint momenti ac primarii fontes pro indaganda vita interna Ecclesiae in quavis orbis terrae regione. Ideo nihil miri in eo videndum esset, si dicti libri Metropolitae semper et immediate praesto essent. Si ipse insuper sua possessione habituali etiam libros parallelos omnium dioecesium suffraganearum sciret, sane conspectum universalem ac simul profundissimum de condicionibus suae provinciae ad munus suum optime exercendum haberet. In casu concreto responsum datum sensum adhuc multo clariorem accipere valet hacce consideratione: Mediolani territorium qua *Dioecesis* non minus quam qua *Provincia* fuit sane nucleus fortis expansionis idearum magni Concilii, cui territorio insuper praeerat eo tempore sanctus Archiepiscopus, qui anima viva Concilii eiusque verae reformationis fuerat. Vix ullius in mundi loci archivum magis dignum fuit, cui documenta ad vitam internam Ecclesiae spectantia, magis iuste ac congrue affiderentur. Ad inadvertentiae errorem, per Patres Mediolanenses commissum, confugere minime est opus, cum rationes duae allatae plenam praebeant solutionem.

Ultimo loco facile quis iure meritoque quaerere posset, quare

problemata adeo seria sicut de libris Sacramentorum atque Status animarum relative tarde, scil. in Concilio demum V Provinciali Mediolanensi tractata fuerint, aliis minoris momenti praecedentia concessa. Ordo valorum inversus esse videtur: Accuratius in rem introspicienti obiectio futilis apparebit. Certa namque valorum successio servata est: Ab initio valores, vitae internae *exteri,* sed eam plus minusve reflectentes atque ad extra manifestantes, absolvuntur, deinde, serie Conciliorum progrediente, valores vitae *internae* ipsius, superiores professionibus fidei necnon Bullis Pontificiis. Intra illos valores internos iterum statuendus est ordo hierarchicus ascendens ab infra ad supra: Primo tractantur valores quidem *interni,* sed *supererogatorii* et *voluntarii — non-necessarii —.* Quibus absolutis proceditur superius, scil. tandem in Quinto Concilio Provinciali ad valores internos, vitae Corporis Christi Mystici indispensabiles. His brevi manu finitis non potest remanere ullum dubium rationabile relate ad libros de Sacramentis ac de Statu animarum, ac si essent in despectu Patrum Conciliorum Mediolanensium ac proinde valoris minoris.

2. *De valoribus, pro Ecclesiae vita interna* non-necessariis *seu supererogatoriis vel voluntariis-liberis in eorundem libris singulis conscriptis in Archivo Episcopali collocandis.*

Vix praesenti titulo perlecto, quisquam scire vellet, quomodo hi valores, si non sunt de necessitate, se ad vitam Ecclesiam internam habeant. Promptum responsum dubium propositum solvet. Ex arbore vitae internae sana ac forti decursu temporis varii flores venusti ac dulces crescunt ac colliguntur. E floribus iterum nova vita exoritur, quae expansione ac multiplicatione eiusdem speciei arborum visibilis fit. Sine parabola idem dicendo, relatio inter utrumque valorum genus hoc modo exprimatur: Si vita interna necessaria est florens atque abundans, illico fideles ad opera religiosa vel caritativa impellere tendit, quae non sunt de praecepto vel ad gratiae vitam servandam ac continuandam necessaria. Vitae internae fervoris non esset, si nullus tenor versus ea opera voluntaria observari posset. Potius signum vitae tepidae vel stagnantis ex dicto defectu eluceret. Et iterum ex illis manifestationibus vitae religiosae, praecepta excedentis, abundantibus recta conclusio ad ardorem vitae internae quoque fieri posset. Non est ideo mirum, quod inter Concilia Mediolanensia aliqua praeter valores necessarios operibus quoque voluntariis vitae gratiae Ecclesiae enixe favebant atque nimis prompta erant iis locum custodiae securum in archivis ecclesiasticis tribuere.

a. De valoribus religiosis, expressis obligationibus libere *susceptis — veluti votis, institutis veteribus vel usibus observandis — bene notatis Archivo Episcopali inserendis.*

Variae sunt viae, quibus Deo servitia hominum praestari possunt. Pleraeque earum sunt determinatae praeceptis, a Deo sive directe sive indirecte impositis. Aliae sunt libere, ab hominibus sive privatis sive in gremiis velut civitatis vel associationum piarum vel loco eodem unitis, susceptae atque ideo implendae. Praetermissis hic obligationibus privatis, Patres Concilii III Provincialis (1673) de publicis tantum loquuntur. Agitur de iis publicis, quae - ne oblivioni vel neglectui facili sint obnoxiae - per Episcopum sunt examinandae, dato casu approbandae ac custodiae salvae archivi ecclesiastici affidendae. Rationes allatae pro origine harum obligationum liberarum sunt: *Vetus institutum* vel *usus,* ergo aliqua species praescriptionis vel consuetudinis vim legis assumentis; *publicum votum.* Subiectum obligationis est sive civitas aliqua sive locus intra dioecesim — e toto contextu publicus — capax eiusmodi obligationum. Obiectum sunt *dies colendi,* quod variam admittit interpretationem: Dies aliquis vi dictae obligationis libere susceptae coli valet sollemnitatibus servitiorum religiosorum velut s. Missa vel Vesperis vel peregrinationibus multisque modis similibus; cogitari quoque potest de diebus, cultu sacro haud raro in forma ieiunii et abstinentiae sacrandis. Decretum Mediolanense memoratum ulteriora ad rem determinat. Episcopi sane est probationes pro oneribus piis susceptis in unum colligere, e. g. in monimentis vel libris veteribus, manu scriptis indolis publicae.

Omnibus his simul sumptis atque plenioribus ad rem expositionibus modo datis, exspectandum erat Episcopum omnino anxium esse in suo archivo probationes collectas secure deponere, id quod revera contingit. Quod minus clarum sonat, est apparens restrictio ad « monimenta » in Archivo Episcopali admittenda. Ex toto vero contextu patet Patres eum per expressionem specificam minime gentium reliquas probationes excludere voluisse, immo potuisse, sed potius sub ea medium aliquod ad memoriam restaurandam intelligere intendisse [10].

Antequam materia de operibus supererogatoriis ad finem perducatur, attentio iterum ad vota dirigatur. Concilium Mediolanense V fortem votis protegendis atque exsequendis praestat iuvamen. Quodvis serium votum, ut in facie Ecclesiae externa vim probativam habeat ac proinde legis protectione gaudeat, instrumento innixum sit oportet, a notario, ut textu publico, auctoritate supra

privatam elevata, subsignato. Tunc eiusmodi votum revera et proprie est dignum, quod in Archivum Episcopale, custodiae ac probationis causa, ingressum inveniat.

b. De valoribus religiosis, expressis per zelum acquirendi indulgentias, ecclesiis vel urbibus concessas, in libro vel codice memoriae traditis Archivo Episcopali custodiendis.

Indulgentiae, ut media pro poenis temporalibus peccatorum Deo satisfactionem ex thesauro superabundante Ecclesiae praestandi, immediate subsunt auctoritati imprimis supremi clavium coelestium portatoris et in gradu minori quoque Episcopis sunt confisae, per eosdem inter pios fideles distribuendae. Generatim earum concessiones sunt res notoriae, nullum dubium relinquentes: Proveniunt a Pastoribus, pro gregibus sibi immediate commissis. Aliter res se habet, si aliunde absque proprii Episcopi cooperatione associationes, ecclesiae etc. in dioecesi documenta indulgentiarum possident, olim vel nuper accepta, probantia earundem possessionem in perpetuum [11]. Si legitime eas ab auctoritatibus, gaudenti-

---

[10] Decreta Synodi Condita in Concilio Provinciali Mediolanensi III. « Episcopus id curae diligentiaeque adhibeat, ut cum ex Ecclesiae suae libris veteribus manuque scriptis, tum ex publicis Civitatis scriptis, monimenti suè atque aliunde pervestiget, si qui dies sunt, quibus colendis, vel veteri instituto usuque, vel publico voto civitas adstricta est, aut alius item dioecesis suae locus. Si quae eiusmodi monimenta comperit, ea diligentius conscripta, in Episcopali Archivo asservanda curet » : *Acta Ecclesiae Mediolanensis,* p. 86 II, v. II, 232. — « Constitutiones et Decreta Condita in Provinciali Synodo Mediolanensi V: Voti nuncupati instrumentum, notarii manu confectum, auctoritateque munitum, ad Episcopum mensis saltem spatio afferatur, ut in archivo episcopali asservetur perpetuo ». — *Acta Ecclesiae Mediolanen.,* p. 216 I; v. II, col. 536. *Decreta Provinc. Mediol.,* c. 3, p. 470. p. 216 I: *Decreta Provinc. Mediolanen.,* c. 3, p. 470.

